30.000

Rara

[illegible] ed. [illegible]

Bahia

Henrique Soares (Barão d'Ancede)

Nada é a falta ou prohibição de tudo
Necessario p.ª existencia he aquillo q. tem em
si a razaõ sufficiente da sua existencia não depen
dendo de outro p.ª existir. Entidade é hua palavra abstra
cta q. significa o Ente é como Diversidade
o contrario. Hum Composto é q. consta de varias
partes mas q. só formaõ hua essencia.
Hum Agregado é o q. consta de varios partes
mas q. formaõ diversas essencias
Força viva he a faculd.e de produzir acções q. a vivificaõ
morte é contrario.
A Teologia é necessaria ao homem = D. Nada
é mais necessario ao homem do q. alcançar a
felicid.e tanto desta como da outra vida para isso é
necessario fé em Deus como demostramos
na Teologia a Th. levanos ao conhecim.to de
Deus logo &.
Tambem é a sciencia a mais agradavel. D. nada
é mais agradavel ao homem q. saber a indrora
do pais de q. descende mas a Th. levanos a esse
conhecim.to logo &.

INSTITUTIONES METAPHYSICÆ IN USUM TIRONUM SCRIPTÆ;

AUCTORE
ANTONIO GENUENSI
In Regiâ Neapolitanâ Studiorum Academiâ Ethicae Doctore.
CURANTE
BENEDICTO JOSEPHO DE SOUSA FARINHA,
Publico Philosophiae Professore.

BAHIÆ:
TYPIS EMMANUELIS ANTONII SILVÆ SERVA.
ANNO M. DCCCXVII.
Cum facultatibus necessariis.

INSTITUTIONES
METAPHYSICAE.

PROLEGOMENA.

§. I. Metaphysica est ea Disciplina, qua traduntur notiones, causae, & rationes maxime genericae rerum aeternarum, factarum, & possibilium. Dicta est Metaphysica quasi Scientia Physicis disciplinis sublimior. Nempe in hoc a Physica distat Metaphysica, quòd illa proximas rerum naturalium causas, haec remotas, & maxime genericas investiget. Illa exteriorem, & oculis subjectum, haec interiorem, & intelligibilem rerum ordinem perscrutetur. Tandem illa rerum corporearum corporeas causas expedire conetur; haec vero incorporeas, praecipue activas. Quare Metaphysicus dicitur. 1. qui res singulares ad suas genericas notiones apte, exprompteque referre scit. 2. qui primas, & genericas rerum causas animo comprehensas habet. 3. qui tandem de

Homine Deo & aliis substantiis intelligentibus ex naturalibus notionibus docte, & acute disserere novit.

§. II. Ex quo patet vere docuisse Scholasticos esse hanc Scientiam & Sapientiam universalem, eique s ceteras quasi famulari, suaque principia ab illa mutuari. Quod cum in omnibus Scientiis verum experimur, tum verissimum in Juris naturae, Theologiae, & Ethicae studiis, in quibus nemo unquam proficiet, qui ad ea non accesserit animo Metaphysicis exculto, id est *universali, & perspicaci.*

§. III. Quibus ex rebus consequitur, utilissimam esse Metaphysicam; quandoquidem ea plurimum ad hominum felicitatem conferre potet, si rite, & recte excolatur. Enimvero si studiorum humanorum scopus est hominum beatitudo, eaque posita est in perfecta voluptate, & perfecta voluptas ex perfecto bono manat; optimum vero bonum moribus rite conformatis obtinetur; moresque rite conformant Ethica, & Theologia; his vero Metaphysica substernitur (ex §. II.): hominum vitae, societati, & Religioni,

uti-

utilissima est Metaphysica. Accedit utilitas maxima, quam affert in mentis culturam, capacitatem potissimum, & ratiocinandi, atque ad sua generica principia revocandi facultatem exercendam, & augendam. Scilicet quando constat nihil esse in homine praeclarius *ratione*; quis ambiget, eam esse Scientiarum omnium praecellentissimam, qua *ratio universalis* in animo infformetur? quippe sine qua nulla constat Disciplina.

§. IV. Sed & jucundissima est haec Scientia: nec enim parva est voluptas perquirendi & contemplandi interiora mundi, seu potius intelligibilem, & verum mundum, & ex invisibilibus causis, ordineque invisibili pulcherrime constructum, ad quem non pertingit populus, qui phaenomena tantùm mundana admiratur, nec esse putat, nisi quod oculis contuetur. Primarum enim substantiarum totius rerum universitatis ex quibus mundus hic adspectabilis emergit, earum vires, series, ordo, fines, pulchritudo, tum earum activae, & primae causae, aut nulli, aut soli huic nostro Philosopho patere possunt.

§. V. Sed opponunt; Metaphysicos ferme omnes in fanatismum proruisse, absurdorum systematum fuisse auctores, aut paulo liberiores, quàm per divinam Religionem licet, in philosophando. Respondemus, infinitos fuisse, eosque meliores Metaphysicos, qui moribus intregris, ratione rectâ, magnâ, atque sinserâ pietate excelluerunt, veluti inter veteres Patres, praeter Graecos plures, S. Augustinus, inter recentiores Sanct. Anselmus, & Thomas. Quin in ipso Gentilismo Platonici, & Stoici, qui subtilissimi Metaphysici fuerunt, iidem fuerunt ex omnibus Philosophis minus profani. Nec vero quidquam obest, quod quidam aut fanatici, aut paullo liberiores fuerunt in philosophando; non enim ea sunt Philosophiae vitia, sed hominum: ut non idcirco, quod Theologus, aut Medicus aliquando arte suâ abutatur, Theologia, aut Medicina velut perniciosa exterminanda est. Est hoc sophisma *non causae pro causa*.

§. VI. De methodo ad hanc Scientiam perveniendi contendunt Philosophi. Cum Metaphysica sit Scientia universalis,

lis, & circa universalia & abstracta; Platonici a natura Dei incipiendum putarunt, quòd in Deo sint rationes universales rerum omnium. Esset haec methodus praeclara, si nobis liceret universales hujusmodi rationes, quae sunt in Deo, directe comprehendere: sed quando id mortalibus non est concessum, est methodus Platonica plane inutilis. Scio Platonicos in eâ fuisse opinione, universales illas Dei rationes & ideas mentibus humanis participari. Sed ne quid aliud dicam, est haec doctrina valde incerta, & obscura.

§. VII. Quoniam ergo homines non nascuntur rationibus & ideis universalibus praediti, nulla alia superest via; qua ad Scientiam universalem pervenire possimus, nisi analytica, quae a rebus singularibus paulatim ad universales rationes nos perducit. Atque hac methodo Philosophi omnes ad Scientiam universalem evaserunt, quemadmodum constat ex eorum historiâ. Eâ methodo Elementa Metaphysicae confecimus, hasque Institutione confeciemus.

§. VIII. Tres autem in partes Elemen-

mema divisimus: eandem rationem in his Institutionibus sectamur: Primâ parte principia Ontosophiae, & Cosmosophiae maxime generalia, idest Metaphysicam generalem, sumus complexi: alterâ Psychesophiam, id est tractationem de mente, & naturâ humanâ: tertiâ Theosophiam, id est Scientiam Dei, divinarumque rerum. Ita autem haec trademus, ut meminerimus perpetuò veteris illius effati: *Philosophandum, sed paucis*. Nam utcumque haec studia, & perpulchra sint, ac jucunda, & rationi perficiendae utilissima, illa demum nos totos occupare debent, quae vitae humanae, cum privatae, tum publicae felicitatem propius spectant. Quare haec, de quibus agimus, degustanda tantum sunt, ut iis ratio ac mens universalis formetur, non etiam pleno pectore haurienda, atque in iis consenescendum. Praeterea eorum ea tantum sumenda, quae rebus nostris propiora sunt, atque habere in vita quum privata, tum civili, usum aliquem possunt, ne velut ex hominum consortio segreges, non huic nostro mundo, sed alteri, & intelligibili nati esse videamur.

Por-

Porro methodus, qua in his Elementis usi sumus, atque hîc utemur, mathematica est: primum enim vocabulorum, & rerum definitiones proponemus, ne vocum ambiguitate, aut rerum obscurritate laboremus: deinde ex iis praecipuas Propositiones derivabimus.

PARS PRIOR
COMPLECTENS PRINCIPIA
ONTOSOPHIÆ,
ET
COSMOSOPHIÆ.

Ontosophiam vocamus Scientiam maxime universalem circa ens, ejusque proprietates genericas, seu circa genericas rerum notiones, quibus singulares comprehenduntur, occupatam.

Qua ex re patet Ontosophiâ Metaphysicam generalem comprehendi.

Cosmosophiam vero dicimus Scientiam, quae principia, originem, & ordinem hujus universi tradit.

Cum pleraeque cognitiones Cosmosophicae conjunctae sint & copulatae cum Ontosophicis; inde factum est, ut in hac primâ Elementorum nostrorum parte utriusque principia generalia conjunxerimus.

DEFINITIONES.

CAPUT I.

Explicantur notiones vocabulorum; Rei, Entis, Nihili, Possibilis, Necessarii, Contingentis.

Definitio I. RES nobis dicitur quodcumque existit, est, futurum, aut possibile est, seu substantia id sit, seu modus. Itaque nullum est aliud vocabulum, cui in his Elementis ampliorem notionem adscribamus. Omnium igitur idearum nostrarum universalissima erit idea Rei.

Definitio II. Entis nomine intelligimus quodcumque existit, seu substantia sit, seu substantiae proprietas, aut qualitas quaecumque: itaque ejus idea minus est generica, quàm idea rei. Animadvertendum autem est hoc in loco, in libris Philosophorum Platonicorum sæpe Ens dici, quod æternum est, & immutabile. Hinc factum est, ut non

ra-

rarò scripserint, corpora non esse Entia, id est, nec aeterna, nec immutabilia: nam Platonicis Deus tantum, & Ideae sunt Entia.

Definitio III. Vocabulum *Nihil* duas exprimit notiones, unam *entis*, alteram privationis rei alicujus in ente illo. Scilicet vocabulum Nihil *negativum* est: vocabula autem negativa absentiam *positivorum* significant, cujusmodi sunt insipidum, silentium, tenebrae: primum enim significat absentiam saporis: alterum absentiam soni: tertium absentiam luminis: quo officio fungi nequeunt, nisi duae illae notiones conjunctae sint.

Definitio IV. *Possibile* voco id, quod nec est, nec certum est, utrum erit, sed tamen non repugnat esse, veluti habitatores in aliis Planetis. Plerùmque vocabulum *possibile* generatim accipitur pro omni eo, quod non repugnat existere, sine ulla relatione ad ullum tempus, vel locum, quo usu & existentiâ quoque comprehendit; ut quum dicitur, in Deo esse rationem sufficientem omnium possibilium

Definitio V. Ea *non repugnare* dici-

mus, quæ conjuncta simul esse possunt; ut ex datis tribus lineis rectis, quarum duæ quomodocumque sumptae majores sint tertiâ, triangulum confici non repugnat.

Definitio VI. Repugnare vero dicimus, quae simul esse non possunt, *ut circulus quadratus: idem simul esse & non esse.*

Definitio VII. Futurum voco id, quod non solùm est possibile, verùm etiam certum est extiturum; veluti cras oriturum Solem, omnes morituros aliquando. Possibilia, cùm determinantur ad aliquando existendum, *futura* sunt.

Scholium. Sunt qui *futura* ád duo genera referunt, ut alia sint *absoluta*, alia *condicionata*. Illa sunt, quae praecisé *futura* sunt: hæc vero, quae sunt *futura*, si conditiones quaedam ponantur. Ex. gr. *futurum absolutum* est, ut homines aliquando moriantur, *conditionatum* vero, pulverem pyrium arsurum, si ei ignis admoveatur. Praeterea futura absoluta item ad duo genera conferunt, ut alia sint *necessaria*, quemadmódum hominen aliquando moriturum; *alia libe-*

be-

bera; velut hominem quidquam facturum, aut non. Animadvertendum autem est, futura conditionata & libera in mentibus nostris incerta esse, quia ignoramus, utrùm conditiones, a quibus pendent, & unde agentia libera sese determinatura sunt, ponendae unquam sint, necne; sed in mente divinâ esse certa, & determinata, quia Deo conditiones illae, a quibus hujusmodi futura pendent, exploratæ sunt, & certae. Atque hunc in modum responderi potest celeberrimae olim in Graecis, & Latinis Scholis quaestioni: *Utrùm de futuris contingentibus detur determinata veritas*. Nam id solum negare possunt Epicurei, qui rerum praescientiam & providentiam negant.

Definitio VIII. Possibilium quoque duo statuuntur genera, *intrinseca* scilicet, & *extrinseca*. Ad prius genus referuntur ea, quorum essentialia simul esse possunt, ut Animal vi ratiocinandi praeditum; figura Chiliogona, seu mille laterum, &c. Ad posterius vero ea, quae non tantùm intrinsecùs possibilia sunt, sed etiam extrinsecùs, id est, quorum efficiendorum ratio sufficiens in causa aliquâ

quà existit. Atque hoc sensu, ut nihil est intrinsecùs possibile, quod non sit etiam extrinsecùs respectu Divinae Omnipotentiae, ita multa sunt intrinsecùs possibilia, quae respectu ad potentias naturae finitas impossibilia sunt.

Definitio IX. *Impossibile absolutum & intrinsecum* est id, quod existere pugnat, seu id, cujus essentialia juncta simul esse nequeunt, ut Circulus quadratus.

Definitio X. *Impossibilia moralia* dicuntur ea, quae licèt intrinsecùs possibilia sunt, nunquam tamen contingent, ob potentissimam rationem, quæ illis obstat. Ex. gr. damnare Innocentem, intrinsecùs possibile est: sed est impossibile *morale* respectu Dei, quia nihil operatur adversus justitiam, & sanctitatem Dicimus etiam impossibilia moralia, quae aut nunquam, aut raró inter homines eveniunt, ob repugnantiam cum sana ratione, ut a filio probo patrem carissimum occidi.

Definitio XI. *Necessarium existentiae* vocamus quod existentiae suae causas non habet, cujusmodi est solum Ens aeternum.

num. Necessarium existentiae dicitur in Scholis existere *necessitate naturae suae*, id est, ita existere, ut repugnet non existere.

Definitio XII. *Necessarium essentiae* est, quod essentiam habet immutabilem. Huic enti *contingens* opponitur.

Definitio XIII. Necessarium ad existentiam dicitur id, sine quo aliud existere nequit. Ita causa est ens necessarium ad existentiam sui effectûs.

Definitio XIV. Necessarium ad essentiam est id, sine quo essentia rei concipi nequit. Ita Soliditas dicitur necessaria ad essentiam corporis; Æquidistantia circumferentiae a centro ad essentium circuli. Quae sunt talia, vocantur in Scholis *essentialia*.

Definitio XV. A necessario, & intrinsece pendet a B, si B sit necessarium ad essentiam ipsius A. Ita triangulum necessario, & intrinsece pendet a tribus lateribus.

Definitio XVI. A extrinsece pendet a B, si B sit tantùm necessarium ad existentiam ipsius A, non etiam ad essentiam. Ita Triangulum extrinsece pendet a Geometra.

De-

Definitio XVII. Ens *contingens* est quodcumque non existit necessitate naturae suae, quodque proinde non pugnat non esse. Talia sint omnia entia creata, quorum nullum est, quod ita existat, ut pugnet non esse. Sed & contingentia dicuntur aliquando, quae libere fiunt.

CAPUT II.

Explicantur notiones Relationis, Subjecti, Adjuncti, Substantiæ, Attributi, Modi.

Def. XVIII. RElatio est qualiscumque ordo unius rei ad aliam, seu qualiscumque nexus unius rei cum alia, quo fit, ut unâ positâ; altera ponatur necesse sit. Est autem *Relatio* triplex: *Realis*, *Moralis*, & *Intellectualis*. Illa in ipsâ rerum naturâ est: altera opinione hominum constat: tertia cogitatione constituitur Relatio partium oculi cum fine suo, id est, visione, naturâ ipsâ constat. Relatio inter virum & uxorem, Subditum & Principem, hominum facto,

&

& legibus constituta est. Relatio inter principia precaria alicujus systematis & inde deducta consequentia, ratione nititur.

Def. XIX. In Relationibus distinguimus earum *subjecta* & *rationem*. Subjecta relationum sunt illa, inter quae nexus est, & relatio: nexus vero ipse dicitur ratio relationis.

Def. XX. *Subjectum* generice est id, cui aliquid adhaerere, vel inhaerere percipitur. *Adjunctum* vero, quod subjecto adhaeret, vel inhaeret. Tela ex. gr. dicitur subjectum picturae: pictura adjunctum telae: Animus subjectum virtutis: virtus adjuctum animi. Itaque relativae sunt ideae adjuncti, & subjecti: altera enim ad alteram refertur.

Def. XXI. *Substantia* est primum subjectum ejus, quod est aut fit, quod ita existit, ut intrinsecùs a nullo communi, & anteriori subjecto, sed a suis tantùm essentialibus pendeat, ac semel positum, per se esse, & conservari possit.

Sch. Vocabulum substantia non uno modo, nec cum eadem notione sumitur apud omnes. Nam Grammatici eo intelligunt

gunt quidquid alteri substratum est. Medici saepe eo vocabulo corporis animalis vires designant. Physici corporum genera: ita Aurum, Argentum, Aqua, Ignis, Plantae, Animantes sunt substantiae diversae. Œconomi, & Politici hoc vocabulo apellant divitias: vocant enim eas substantias Domûs, Reip. Nos metaphysicè hoc vocabulum accipimus. Quamquàm quidam sunt Metaphysici, qui *essentiam* rei per se subsistentis *Substantiam* quandoque vocant. Ita igitur *substantiæ* notio per oppositionem ad *accidentia*, & *proprietates* videtur communiter accipi, quum pro subjecto per se subsistente accipitur: sed sine eo respectu, quum pro essentia in se & per se subsistente adhibeatur.

Def. XXII. *Accidens* est adjunctum substantiae, sine quo substantia esse potest, licèt id nunquam esse possit sine substantia. Accidens itaque substantiae aut essentiam, aut existentiam limitat. Quare aut est *qualitas*, aut *modus*: qualitas enim essentiam rei finit; modus existentiam limitat. Ita Cera substantia est: Figura modus: Mollitudo, aut durities qualitas. Sed saepe confunduntur.

De-

Definitio XXIII. Essentialia entis vocamus ea, ex quibus primùm entis essentia componi intelligitur. Ita Extensio, Soliditas, Divisibilitas, &c. sunt essentialia corporis. Tria Trianguli latera sunt essentialia Trianguli.

Definitio XXIV. Attributum est id, quod licèt non sit primum in essentia, in quo ab Essentiali discernitur, necessarió tamen & intrinsecús provenit ab essentia, estque cum illa ita connexum, ut positâ essentia, illud ponantur, necesse sit. Ita in triangulo tria latera sunt essentialia: tres anguli aequales duobus rectis sunt attributum, quod, positâ essentiâ Trianguli, necessariò sequitur.

Difinitio XXV. Dividunt Philosophi proprietatum vocabula in *affirmativa*, & *negativa*. Illa explicant, quid res sit, ut Extensio in corpore, Intellectus in anima: haec vero quid non sit, ut in eodem corpore Impenetrabilitas, in animo Immortalitas, In investigandis rerum essentiis utrumque hoc perquirendum est, quid scilicet res sit, quid non sit.

Definitio XXVI. Substantiae aliae sunt brutae, aliae inteligentes. Illae sunt, quae ratio-

tione destituuntur, ut Elementa corporum; hae, quae intelligentiâ sunt praeditae, ut Mentes.

Definitio XXVII. Sed & sunt quaedam ideae abstractae proprietatum, vel modificationum substantiarum realium, quae instar substantiarum concipiuntur atque habentur, quia capaces aliarum proprietatum, & aliarum modificationum. Ita idea Circuli, Quadrati, &c. in Geometria: Potentiae, Scientiae, Motûs in Metaphysica: Actionum in Morali, &c. dici possunt *substantiæ* abstractionum.

CAPUT. III

De Essentiâ, & Naturâ

Def. XXVIII. E*Ssentia* est forma rei intrinseca, qua res talis potiùs est, quàm talis, eaque posita est in indivisibili essentialium, & attributorum unione. Unionem vero essentialium, & attributorum hoc tantùm sensu vocamus indivisibilem, ut nequeat eorum ullum auferri, quin Essentia mutetur. Ita Ex. gr.

gr. in unione omnium essentialium Corporis posita est essentia Corporis: in unione omnium essentialium Trianguli posita est essentia Trianguli.

Sch. Metaphysici solent in rebus primum quoddam essentiale, & praecipuum concipere, atque in eo ejus rei essentiam ponere. Haec dici potest essentia Metaphysica. Essentia porrò pertinet tam ad substantias, quàm ad proprietates, & modos. Nam ita dicimus essentia *Corporis*, essentia *Mentis*, ut essentia *Circuli*, *Quadrati*, *Virtutis*, *Vitii*. Sed postquâm singularia ad genericas notiones relata sunt, tum in una, eâdemque re plures essentias Metaphysici considerant, ut in Planta essentiam *corporis*, essentiam *plantæ*, essentiam *pyri* essentiam hujus *pyri*.

Def. XXIX. Essentiae vel *reales sunt*, vel *notionales*. Illae sunt, quibus res sunt tales: haevero sunt notiones rerum vocabulis quibusdam expressae. Cum notiones nostrae, praesertim substantiarum? nunquam sint adaequatae; inde intelligitur, quantopere essentiae substantiarum notionales sint diversae a realibus. Quocir-

circà frenanda est temeritas, quâ ex essentiis notionalibus de realibus audacter judicamus.

Def. XXX. Praeterea essentiae rerum vel *factæ* sunt, vel *æternæ*, & *intelligibiles*. Illae sunt id, quo res creatae sunt id, quod sunt: hae vero sunt aeternae Dei ideae, quibus res vel existentes, vel futurae, vel preteritae, vel possibiles expressae continentur. Illae mutabiles sunt, hae immutabiles

Def. XXXI. *Vis* est facultas agendi. Est autem vis vel *viva*, vel *mortua*. Illa cum actione conjuncta est, veluti vis flammae, quae sese agitat: haec in conatu posita est, ex quo actio quidem nascitur, sed ob resistentiam statim perimitur, veluti vis penduli immobiliter gravitantis, vis vitalis seminum quiescentium.

Def. XXXII. *Actio* si spectetur veluti a causa manans, actio quidem appellatur: si vero consideratur in subjecto, in quo ab externâ causâ producitur, *passio* dicitur. Ex. gr. cum moveo lapidem, motus respectu mei actio est, respectu lapidis passio. Hinc vero nascitur divisio potentae in

activam, & *passivam*, quarum illa agit; haec vero excipit.

Def. XXXIII. Vocamus *Naturam* vires, seu principium activum entium, dum de rebus Physicis loquimur. Ita natura Plantae hoc sensu est vis activa plantae: natura Ignis vis activa ignis.

Def. XXXIV. Dum vero loquimur de moralibus, naturam dicimus, aut normam actionum humanarum naturalem, aut naturales hominum propensiones. Ita dicimus homicidium naturae adversari.

Sch. Plerumque, dum minùs accurate loqimur, naturam cum essentia miscemus, ut cum dicimus naturam Circuli, pro essentia Circuli. Sed & non raro *naturam rerum* pro tota rerum universitate accipimus. Philosophi, qui tot principia activa in rebus posuere, quod individua, ea appellarunt Naturas, ut olim Epicurei, nunc Leibnitiani. Alii vero cum unum in tota rerum universitate principium activum posuissent, id Naturam dixerunt: aut virtutem genitricem, ut Platonici: aut Fatum, ut Stoici.

Def. XXXV. *Leges naturæ* vocant Phy-

Physici normas, quae genericis propositionibus a nobis efferuntur, secundum quas normas motiones in hac rerum universitate provenire ejus auctor Deus statuit, quibusque universi ordo continetur. Ex. gr. *Corpus unumquodlibet perseverat in statu suo quiescendi vel movendi uniformiter in directum, nisi a causa externa statum suum mutare cogatur: Corpora aquâ specificè leviora in eâ natant: In corporibus elasticis resilientibus angulus reflexionis est æqualis angulo incidentiæ, &c.* Has *mechanicas* dicimus, quia corpora regunt. Hujusmodi leges sedulô tantùm naturae studiô perdiscere possumus.

Def. XXXVI. Leges naturæ vocant Ethici normas, quas item genericis propositionibus efferimus, secundum quas actiones suas liberas ut homines conforment Deus per lumen rationis docet, atque praecipit. Ex. gr. *Neminem læde; jus suum cuique integrum esse finito: honeste vive.* Morales dicuntur, quia causas rationales moderantur.

Scholium. Philosophi Romani legis naturae nomine videntur accepisse vires na-

naturae animalis mechanicas, seu eas naturales Propensiones, quae sunt omnibus animantibus communes. Hinc legem naturae definiverunt, *quam Natura omnia animantia docet*, qualis est Maris & Foeminae conjunctio, Prolis educatio, & tutela. Iidem praeter has leges toti animantium naturae communes, alias esse docuerunt hominum proprias, quae *jura gentium*, id est, hominum, vocabant: easque a ratione humanâ proficisci: *Ut Deum colere; sibi esse amicum; jus suum cuique integrum esse sinere*, quo nomine leges naturae morales comprehenderunt, quibus animantia bruta, quae ratione destituuntur, non tanguntur.

CAPUT IV.

De Identitate & Distinctione.

Def. XXXVII. Idem dicitur ens illud, in quo nihil immutatum est, etsi locus, vel tempus mutata sint. *Identitas* vero ea notio, qua ens dicitur idem, loco licèt, vel tempore mutato.

Def. XXXVIII. Diversum est, ens quod mutato loco, vel tempore, mutatum fuerit; & *diversitas* est notio abstracta, qua ens aliquod diversum dicitur.

Def. XXXIX. Identitas est triplex, *Metaphysica*, *Physica*, *Moralis*. Illa habetur, quum nihil omnino immutatum est: altera quum essentialia sunt eadem, etsi accidentalia mutata: tertia, quum ordo vitae moralis est idem tam in bonum, quàm in malum. Hinc dicitur, virtutem perdurare *moraliter eamdem*: vel vitium *idem moraliter*, quum primae voluntates non mutantur, etsi intermittantur.

Scholium. Identitas, & diversitas dupliciter dici possunt; Metaphysicè, & Populariter. Metaphysicè quidem ut ens idem dicatur, nedum essentialia, sed, ne unus quidem modus variet, necesse est. At Populariter si essentialia sint eadem, etiam mutatis modis, idem ens dicitur. Itaque homo senex populariter quidem idem esse dicitur, atque fuit juvenis: sed Metaphisicè diversus est. Est in rebus creatis *idem Metaphysicum*? non videtur. Sed eâ de re loco suo commodiùs.

Def.

Def. XL Distinctio in Scholis quadruplex est, *Realis*, *Modalis*, *Formalis*, *& Rationalis.* Realis est inter ea, quae suapte naturâ non sunt eadem, quaeque seperatim intelligi, & esse possunt, qualis est inter rem, & rem; seu substantiam; & substantiam. Ita Anima, & corpus, corpus A, & corpus B, re, aut, ut dicitur; realiter distinguuntur. Modalis autem distinctio ea est, qua modi, & qualitates a suis substantiis distinguuntur, ut figura a corpore, virtus ab animo.

Def. XLI. Distinctio *formalis*, quemadmodum Schotus ejus primus inventor difinit, est, quae intercedit inter *formalitates*, seu essentialia, & attributa ejusdem substantiae. Itaque ea distinctio minor est distinctione reali, major vero distinctione rationali. Ex. gr. Corpus A, & Corpus B realiter distinguuntur, quia sunt duae substantiae: attributa vero ejusdem corporis, ut Extensio, Soliditas, Gravitas, &c. quae non sunt diversae substantiae, sed ejusdem substantiae proprietates, dicuntur distingui formaliter.

Def. XLII. Distinctio *rationis* est cum ea velut distincta percipimus, quae re distincta non sunt, seu quum de eadem re distinctos conceptus nobis efformamus. Ex. gr. si dentur tres lineae A B C ita sitae; ut A sit perpendicularis lineae B, parallela vero lineae C, in A ratio parallelae, & ratio perpendicularis ratione tantùm distinguentur, vel ut duo ejusdem rei conceptus.

Def. XLIII. Quae distingui possunt, aut Res sunt, aut Vocabula, aut Ideae, aut Actiones. Res distinguuntur realiter per suas essentias: Vocabula per sonos: Ideae per distincta objecta, quae referunt: Actiones vero, aut a caussis distinctis, a quibus fiunt, aut a distinctis, in quibus fiunt, temporibus.

Def. XLIV. Contraria vocàmus, quæ simul juncta sese mutuò destruunt, ut simul esse nequeant, ut existere & non existere in eodem ente; rotunditas & quadratura in eâdem figurâ. Scholastici dicere solent rem aliquam involvere contradictionem, aut esse contradictoriam, cùm ut existat, ex contrariis constare debet, qualis esset Circulus quadratus, idem

idem simul esse, & non esse. Quae talia sunt, sunt intrinsecùs impossibilia.

CAPUT V.

De Uno, & Universalibus.

Def. XLV. Ens dicitur *unum*, aut respectu sui, aut respectu aliorum. Respectu quidem sui, cum ita ejus essentialia, & partes junctae sunt, ut unam essentiam constituant, ut Plato, Homo, Animal. Respectu vero aliorum ens dicitur unum, & individuum, cum ab iis distinctum est, & segregatum. Prima unitas *metaphysica* est: altera *numeralis*.

Def. XLVI. Sed Unum, vel *simplex* est, vel *compositum*, vel *per accidens*, vel *morale*. Primum est, cujus nullae sunt partes, realiter distinctae: secundum, cujus sunt quidem partes, sed conjunctae, & copùlatae in unam essentiam: tertium cum plura una ita conjuncta sunt, ut interim non efficiant unam

unam essentiam: postremum, quum plures mentes magnâ inter se concordiâ voluntatum continentur. Primi generis sunt substantiae intellectuales: secundi corpora: tertii corporum diversorum acervi: quarti amici.

Def.XLVII. Compositio autem in Scholis triplex est, *Physica*, *Metaphysica*, & *Logica*. Illa est partium realiter distinctarum, qualis est in corporibus. Metaphysica vero est essentialium, & attributorum formaliter distinctorum, qualis est in mente humana ejus compositio ex intellectu & voluntate, in corpore ex extensione soliditate, devisibilitate, gravitate, &c. Compositio Logica dicitur, quae est ex genere & differentiâ. Cum omnes res sub quibusdam generibus conveniant, discrepent vero ob suas differentias, in omnibus est compositio isthaec Logica. Ita homo habet id, quo cum animantibus omnibus convenit, & id, quo ab iis differt. Primum dicitur *Genus*, alterum *Differentia*. Compositio ex eodem genere, & eâ differentiâ appelatur Logica,

Def. XLVIII. Unitatis notio est ex

no-

notionum abstractarum numero expri-
mitque id, quo ens est unum.

Def. XLIX. Totum est unum Com-
positum: *partes* vero sunt ea plura, ex
quibus totum aliquod componitur. Rela-
tivae sunt igitur totius, & partis notio-
nes ita, ut quemadmodum totum intel-
ligi nequit sine partibus, ita pars non
dicatur, nisi totius respectu. Ac que-
madmodum sunt tria compositionis ge-
nera (ex definitione XLVII.), ita sunt
tria genera Totorum, *Physicum*, *Meta-
physicum*, *Logicum*.

Def. L. Unum porro Philosophi *in
universale* quoque, & *singulare* divi-
dunt *Universale* ad quatuor summa ge-
nera referunt, nempe ad Ideas, Verba,
Actiones, Substantias. Idea universalis
dicitur, quae exhibet, quod pluribus
est commune, ut idea Figurae, seu ex-
tensionis undequaque terminatae, quae
exprimit id, quod est commune omni-
bus figuris. Vocabula sunt universalia,
cum plures eodem tempore ideas signi-
ficant, ut nomina appellativa. Actio uni-
versalis est, si una eademque in pluri-
bus subjectis ab eâdem vi activâ profi-
cis-

ciscatur, velut actio Solis in res terrestres. Substantia appellatur universalis cum una simul est in multis singularibus, qualis esset materia prima. Singulare vero dicitur, quod unum est, & ad nulla alia pertinet, atque ut in se indivisum est, & unum, ita est ab omni alio *realiter* distinctum, ut Plato, Cicero. Singulare *Individuum* quoque appellari solet.

Def. LI. Huc etiam spectant *Genera*, & *Species*. Genus a Philosophis definitur, Unum quod de pluribus universalibus totum affirmatur; ut *tò* animal, quod de pluribus animantium speciebus totum dicitur; Figura, quae de omnibus figuris. Species autem vocatur Unum, quod totum de pluribus affirmatur individuis, ut *tò* homo, *tò* quadratum. Sunt autem genera alia aliis universaliora. In Ontologia universalissimum genus est Res, hinc Ens, mox Substantia, tum Corpus, postremò Animal. Sed sunt genera, & species mera vocabula, & notiones abstractae.

Def. LII. Persona est individuum rationale. Id, quo ens aliquod est individuum, vocatur in scholis *principium in-*

individuationis: id vero, quo persona est persona, dicitur *personalitas*.

Scholium. Est hic animadvertendum in vulgari loquutione vocabulum personae principio pro larva histrionum sumptam, mox, ut Latinis personam, ita *Eposoton* Graecis Actorem Tragaediarum & Co-moediarum significasse: deinde ea voca-bula accepta pro eo sive munere, sive ordine, sive officio, quo quis in socie-tate fungeretur. Tandem singuli homi-nes personae dicti. Sed Metaphysici, & Theologi & relationes subsistentes individuorum rationalium personas dixe-re. Atque ita in Deo, quae simplicissima natura est, tres sunt personae, Pater, Filius, Spiritus Sanctus, quia tres ejusdem naturae subsistentes relationes. Vide S. Thomam 1. P. q. 29. & 30.

CA-

CAPUT VI.

De Potentiâ, Causa, & Fato.

Def. LIII. POtentia est vis, seu facultas agendi, qualis est vis cogitandi, aut vis motrix. Activas definio potentias; nam quae passivae dicuntur, improprie ita appellantur; cum sint facilitates excipiendi, non agendi.

Def. LIV. Ratio sufficiens est id, unde intelligitur, cur aliquid sit potius, quàm non, aut tale potius sit, quàm aliud. Primus hujus principii rationis sufficientis frequentiorem usum fecit Leibnitius, quem mox sequutus est Wolfius.

Def. LV. Principium vocant Philosophi, quod in se continet rationem sufficientem alterius rei. Quum autem haec ratio esse possit vel Existentiae, vel Essentiae, vel Ordinis, vel Scientiae; hinc principia Existentiae, Essentiae, Ordinis, Scientiae. Ex. gr. Deus est primum & liberum principium extrinsecum existentiae Mundi. Atomi, & vires motrices sunt

prin-

principia intrinseca Mundi corporei. Axiomata naturalia sunt principia Scientiarum.

Def. LVI. A continetur in B *formaliter*, quum tota ipsius A essentia est in B: ita Planta continetur formaliter in semine, Animal in ovo.

Def. LVII. A continetur in B *eminenter*, quum ipsius A essentia in B. non est, sed tamen in B. tanta vis, qua A effici possit. Ita Statua continetur eminenter in Sculptore.

Def. LVIII. Causa est principium activum extrinsecum existentiae alicujus rei. Philosophi in hoc Causam a Principio distinguunt, quod Causa sit semper extrinseca; Principium vero aliquando intrinsecum.

Sch. Plurima Philosophi causarum genera ponunt: Nam aliae sunt *primae*, aliae *secundae*: aliae *immediatae*, aliae *mediatae*: aliae *proximae*, aliae *remotae*: aliae *adaequatae*, aliae *inadaequatae*: aliae *physicae*: aliae *morales*. Causa prima est, quae cum sit aeterna, ipsa se movet, nec ab altera aut pendet, aut determinatur; cujusmodi est solus Deus.

Cau-

Causa secunda est, quae cum non sit aeterna, alterius prioris vi indiget, ut sit, & conservetur; ut omnes causae creatae. Immediata est inter quam, & effectum nulla est media: Mediata vero, si alia intercedat. Adaequata est, quae sola effectum producit: Inadaequata, quae non sola. Physica est, quae, actione se in effectum exerente, agit: Moralis vero, quae agit aut praecepto, aut consilio, aut exemplo. Ita, si quis alterum percutiat, physica ejus rei causa est: si consilium dat, aut mandat, ut ab altero percutiatur, causa moralis.

Def. LIX. Fatum generatim est immutabilis omnium mundi causarum & effectuum connexio, & talis ut altera ab altera necessariò pendeat, ac ita ut nullâ in parte abrumpi queat. Quare essentia Fati in necessariâ effectuum & causarum concatenatione posita est.

Def. LX. Sextuplex Fatum constitui potest: *Democriticum*, *Stoicum*, *Spinozisticum*, *Platonicum*, *Mahomedanum*, *Astronomicum*. Fatum Democriticum est necessitas & Fatum materiae, necessaria scilicet, & bruta series effe-

ctuum

ctuum & causarum omnium ab aeterno ex necessitate naturae materiae nunquam interrupta fluens. Itaque in hoc Fato nulla neque in prima causa, neque in secundis libertas est.

Def. LXI. Fatum Stoicum est series effectuum & causarum item necessaria & ineluctabilis, non ex materia manans (in quo differt a Democritico) neque ex natura Dei per essentialem emanationem (in quo a Spinozistico differt) sed a voluntate Dei, quae & ipsa sit necessaria. Hoc Fatum *Providentiam* vocabant Stoici.

Def. LXII. Fatum Spinozisticum est aeterna & necessaria rerum omnium series, quae emanatione essentiali ab aeterno & necessariò fluit ex natura Dei. Impius hic homo (Spinoza) docet, unam tantùm dari substantiam mundanam, eamque aeternam, & ex infinita cogitatione, atque infinitâ extensione conflatam, eamque esse Deum: alias vero res esse modificationes proprietatum hujus substantiae, easque fieri ex ejus necessitate naturae, nullâ nec in Deo, nec in hominibus reliquâ libertate.

Def.

Def. LXIII. Fatum Platonicum ex duplici constat divino, & materiali inter se commixtis. Nempe Plato series rerum mundanas partim ab aeterna anima mundi, partim a divina cura & providentia derivabat, easque necessarias esse opinabatur.

Def. LXIV. Fatum Mahomedanum est necessaria rerum omnium series, qua & homines rapiuntur, liberè tamen a Deo pendens. Id Mahometani docent.

Def. LXV. Astronomicum tandem est rerum sublunarium necessitas ab Astrorum influxu proveniens. Eam quoniam sibi persuasere Astrologi veteres. Astronomicum Fatum dicimus.

Scholium. Leibinitius & Fatum Christianum dixit providentiam. Sed quanquam nos doceamus omnia esse a Deo praeordinata, ut nihil sit in universo fortuitum; tamen nec Deo, nec hominibus libertatem hujusmodi rerum serie auferimus, in quo propriè vis Fati sita est. Quare eo vocabulo abstinendum censeo inter Christianos.

Def. LXVI. Casus propriè est cum res fiunt nullâ praescientiâ, nullâ pro-

videntiâ, nulloque ordine, atque fine; neque ex certis, atque statutis causis. Quare purus Casus & Fato opponitur, & Providentiae.

Def. LXVII. Finis est id, cujus gratiâ aliquid fit. Itaque Finis relationem dicit ad rationem, qua libertas determinatur ad agendum potius, quâm non agendum, aut ad hoc, vel illud efficiendum. Vocantur quoque a Philosophis rerum fines ii, ad quos res factae, & tendere videntur, ut oculorum. Finis est visio; quia ejus gratiâ facti sunt.

LXVIII. Conservatio est perennis vis; qua veratur; ne res pereat. Vocatur in Scholis continuata quaedam creatio, quod scilicet eâdem actione, quâ res creantur, conserventur. *Conservatio* (inquit S. Thomas I. part quaest. 104.) *rerum a Deo non est per aliquam novam actionem; sed per continuationem actionis, qua dat esse.*

Def. LXIX. Attractio est corporum accessus aut reciprocus, aut alternus, sinè sensibili & cognitâ causâ impellente, ut quum Magnes attrahit ferrum.

Def. LXX. Causa attractrix est ea, quae sine impulsu corpus aliquod ad se rapit.

Def.

Def. LXXI. Vis ea; qua corpora seu magna, seu parva, ad commune aliquod centrum tendunt, dicitur *gravitas*, & *vis centripeta*. Ita Lapis gravitat in telluris centrum: Planetae in Solem.

Def. LXXII. Ea vis, qua corpora a communi centro removentur, *Centrifuga* dicitur, ut vis ea, qua Planetae in orbitis suis rapiuntur, qua fit ne gravitate cum Sole conjungantur.

CAPUT VII.

De Spatio, Infinito, Duratione, & Motu.

Def. LXXIII. VOcamus *Extensum*, quodcumque aut in longum, aut in latum, aut in profundum patet: *Spatium* vero, quod tripliciter, idest longe, late, & profunde extensum est. Notionem Spatii oculis, & tactu percipimus.

Def. LXXIV. *Soliditas* Philosophis est ea extensi qualitas, qua fit, ut una ejus pars alteri resistat infinitè, ne eundem locum occupet. Graeci significantius

vocant *antitipiam*, quasi reciprocam resistentiam. Itaque ex Soliditate nascitur Impenetrabilitas. Soliditates Idea solo tactu adquiritur. Quare si tactu careremus, oculis interim ornati, Extensionem quidem perciperemus. Soliditatem nullo modo.

Def. LXXV. Materia sunt ea corporum elementa, ex quibus primùm corpora coalescunt. In Materiae mundanae definitione non sibi conveniunt Philosophi. Nam Pythagorei, Aristoteles, & nunc Leibnitiani incorpoream materiam posuerunt: Aristoteles quidem unam, & immensam: Pythagorei vero, & Leibnitiani infinitas monades simplices. At Epicurei, Cartesiani, & Newtoniani corpoream constituunt, elementa scilicet numero infinita, sed extensa, & solida, atque in infinitum divisibilia.

Def. LXXVI. Inane, seu *Vacuum*, vocant Epicurei immensam undequaque, immobilem, & indivisibilem extensionem, nec solidam, nec gravem, nec activam, nec ullo modo sensibus perviam, sed locum tantùm, in quo sunt omnia.

Def. LXXVII. Infinitum Philosophi appellant, quod omni fine caret: est igitur vocabulum negativum. Est autem infinitum vel *absolutum*, vel *relativum*. Illud est, cujus nulli omnino sunt limites: hoc illud, quod licet limites habeat, illi tamen a nobis concipi nequeunt.

Def. LXXVIII. Durationem vocamus continuatam entis alicujus existentiam. Eam in *absolutam*, *&* *relativam* partimur. Illa est ipsa continuata existentia, nullâ ad alias res, aut rerum motum relatione definitâ. Haec vero, quae ex relatione ad alias res dimetitur. Ita Æternitas est absoluta duratio. Anni vero nostri, & saecula sunt Duratio relativa, quia dimetiuntur ex relatione ad motum Solis.

Def. LXXIX. Vulgò Duratio dicitur esse ens successivum. Sed duas in duratione successiones distinguere possumus, *Metaphysicam*, *&* *Physicam*. Successio Metaphysica est ipsa continuata existentia entis immutabilis. Physica vero est successio statuum diversorum in re durante, qualis cernitur in toto universo.

Def. LXXX. Durationis tria facimus genera. Est enim aut *Sempiternitas*, aut *AEternitas*, aut *Tempus*. Sempiternitas est duratio entis, cujus existentiae neque initium fuit, neque ullus finis futurus est; talis est duratio Dei. AEternitas vero est duratio entis, cujus quidem existentiae origo est, sed nullus futurus est finis; talis est duratio Spirituum creatorum. Tempus tandem est duratio entis, quod initium habuit, & finem est habiturum. Animadvertendum autem est hoc in loco, plerumque vocabula Sempiternitatis, & Æternitatis pro eodem usurpari. Praeterea & illud observandum est, quandoque vulgari loquutione, AEternitatem dici non infinitam durationem, sed longam, & indefinitam.

Def. LXXXI. Locum vocant Philosophi partem aliquam extensionis universi, aut immobilem, aut quae tanquam immobilis spectatur, capacem tamen crassiorum corporum excipiendorum. Qui spatium vacuum esse opinantur, totum hoc mundi spatium Locum appellant, ejusque singulas partes Loca peculiaria.

Contrà, qui spatium illud pernegant, eique substituunt fluidum subtilissimum, & facilè permeabile, hoc fludium habent pro corporum omnium crassiorum Loco *extrinseco* : ipsam vero corpoream extensionem pro loco *intrinseco*.

Def. LXXXII. Motus est actio, qua ens de loco in locum, seu de una spatii parte in alteram, & quidem successive, transfertur.

CAPUT VIII.

De notionibus Perfectionis, Veritatis, Bonitatis, Similitudinis, Ordinis, Proportionis, Pulchritudinis.

Def. LXXXIII. RES *perfecta* dicitur, quae plene facta est ita, ut nihil ei addi, nihil demi possit. Hac significatione relationem habet ad *Artem*. Itaque perfectio est aut *humana*, aut *naturae*, seu divina. Illa est, cui nihil ars humana reliquum habet, quod addat; haec, cui nihil reliquum est, quod di-

vina arte addatur. Sed quum quicquid fit, ob finem aliquem fiat, seu ab homine, seu a Deo; inde fit, ut saepe ex fine cujusque rei perfectio aestimetur. Quare ea res dicitur perfecta, quae ita facta est, ut nihil ei desit, quo fini suo respondeat: imperfecta contrà, cui quo finem suum assequatur, aliquid deest. Atque hac notione disputatur, perfecta, necne sint artium humanarum opera, aut naturae res. Sed earum quaestionum solutio a duobus pendet 1. ut rerùm earum fines probè inteligantur: 2. ut plenè earum cum iis finibus congruentia comprehendatur. Haec notio divina non attingit. Haec perfectio dicitur *perfectio finis.*

Def. *LXXXIV.* Jam vocabulum Perfectio sumitur etiam pro rei entitate: ac ita dicuntur res magis, aut minus perfectae, prout maiorem aut minorem entitatem habent; atque haec notio metaphysica est. Illud vero est, quod non videtur satis intelligi, quid istuc sit, res habere majorem, aut minorem entitatem. In eam sententiam hoc vocabulum sumi apud plerosque lego, ut ea di-

dicantur habere majorem entitatem, quae minus *contingenter* existunt, minorem, quae magis: minus porro contingenter existere ajunt, quae nec generantur, nec corrumpuntur, & inter haec, quae majori attributorum numero, aut iisdem, sed intensioribus, praedita sunt; cujusmodi sunt *substantiae simplices*, & inter spiritus, intelligentiores: magis vero contingenter existere ea, quae generantur & corrumpuntur, velut corpora. Hanc dicemus *perfectionem entitatis*.

Sch. Quibus ex rebus intelligitur, quid sit quod dicitur, domum, navim, arma, picturam, sculpturam, ac alia artium humanarum opera esse magis perfecta, aut minus perfecta: nempe cum ad earum fines eas res comparamus. Tum naturae res, plantam, animantia bruta, homines, rerum ordines, cetera perfecta esse, aut minus perfecta, scilicet ad naturae fines eas contendimus. Item quid sit, mentes esse corporibus perfectiores, aut mentes aliis mentibus: hîc entitatem spectamus. Sed quid significare volumus, quum dicimus Deum esse perfectissimum? Nempe utrumque, ut scilicet nihil ei de-

desit quo sit quidquid esse potest ; & ut necessariò existat.

In ea ergo questione, Deus potuerit nec ne creare homines perfectiores, aut perfectiorem mundum, nemo esse intrincatus potest: nam *sine* non potuit, *entitate potuit*.

Def. LXXXV. Quae Perfectio inest in re a natura ipsa, *naturalis* appellatur, quae vero ab arte, *artificialis*. Perfectio autem Artificialis in eo posita est, ut res naturae ad usus, commoditates, & voluptates nostras accommodemus, non ut naturam seu ex fine suo, seu quod ad *entitatem* perficiamus Quocirca effatum illud Scholarum, *Ars perficit naturam*, non ita accipiendum est, quasi naturae quidquam desit ad sui Perfectionem, quod praestetur ab arte; sed ita, ut quae natura progignit ad fines suos, ea industriâ, & arte humanâ in usus nostros accommodemus. Quomodo natura oves lanâ tegit, ut hoc animal defendatur ab aeris injuriis; ars lanam in utilitatem nostram accommodat, atque ita naturam perficere dicitur.

Def. LXXXVI. Infinite perfectum dupli-

pliciter dicitur, *intensive*, *&* *extensive*. Extensive quidem, si nulla sit possibilis perfectio, quae in re illa non insit: intensive autem ita, ut nulla ejus rei perfectio finita sit. Ita dicimus Deum infinite perfectum intensive, & extensive; quia, & nulla ei deest perfectio, & singulae perfectiones infinitae sunt. Hinc perfectio est Entitas.

Def. LXXXVII. Veritas est aut *naturalis*, aut *Moralis*, aut *Logica*. Illa est ipsa rerum natura, atque essentia, aeternoque exemplari congruens. Moralis est congruentia externorum signorum cum notionibus animi, eique opponitur Mendacium Logica tandem est congruentia essentiarum notionalium cum realibus. Objectivam autem intelligo. Vide dicta in Logica *lib.* 3. *cap.* 1.

Def. LXXXVIII. Bonum aut *absolute*, aut *relative* dici solet. Illud continetur ipsâ rei entitate, id est proprietatibus: hoc vero est id omne, quo Bonum rei absolutum aut conservatur, & perficitur, aut conservari, & perfici potest. Ita quaecumque existunt absolutè quidem bona sunt, sunt enim aliquid:

no-

nobis vero, id est relative, bona, aut mala esse possunt.

Def. LXXXIX. Bonum morale est convenientia actionis liberae cum sua regula: *Malum* vero *morale* discrepantia actionis liberae a regula. Quocirca si nulla esset actionum liberarum regula, nec intrinseca, & in natura ipsa entium liberorum insita, nec extrinseca, nullum esset Bonum, aut Malum morale.

Def. XC. Similia dicuntur entia, in quibus ea, per quae discerni solent, sunt eadem: *Dissimilia* entia, in quibus ea per quae discerni solent, sunt diversa. Ex. gr. duo corpora discernere solemus primùm per externa, qualia sunt pondus, figura, color, &c. deinde per internam partium conformationem, vires activas, &c. Haec omnia, si eadem fuerint in duobus corporibus A, & B, ea corpora simillima dicentur, ut aequales globi auri ejusdem. Si vero omnia diversa, dissimilia velut globus aureus, & frustum ligni: si partim eadem, partim diversa, velut homo, & brutum, erunt partim similia, partim dissimilia.

Def. XCI. Ordo est plurium entium, si-

sive permanentium, sive successivorum inta connexa series, ut antecedens spectet consequens, consequens vero sit finis antecedentis, & omnia ad communem aliquem finem directa sint. Ita corpus humanum ordinatissimum dicimus, quia est machina ex infinitis aliis machinulis contexta ita, ut aliae aliarum sint fines peculiares, omnium vero communis finis vita.

Def. XCII. Plurium Ordinum similitudo *Proportio* appellatur. Sit eadem ratio Ordinis entium A, B, C, D, & entium 1, 2, 3, 4, inter Ordines istos est proportio.

Def. XCIII. Pulchra ea dici solent, quae perfectione, unitate, ordine, & proportione constant: Pulchritudo igitur est apta partium cum toto congruentia, quae oculos mirabiliter delectat. Hinc mundum pulcherrimum dicimus, quia singulae ejus partes, & inter se se, & cum toto mirabili ordine, & proportione connexae sunt. Haec *Metaphysica* pulchritudo dici potest. Sed est, & *Physica*, quae posita est in congruentia rerum cum animi humani constitutione,

quae

quae animi constitutio quum tam varia sit, quàm homines, est ea pulchritudo tam varia, quàm homines. Tandem est quedam pulchritudo *Moralis*, cujus vis a consuetudine & moribus est, quibus fit, ut quaedam honesta, & pulchra existimentur, etiam quum minus sunt, si ex regula, & ratione aestimentur.

POSTULATA.

I. PHilosophari nos oportere ex ideis, quas habemus: sed hujusmodi ideas probè perpendendas, & ad veri criterium expendendas. Nam tota nostra cognitio ambitu idearum nostrarum continetur. Itaque contenti esse debemus eâ scientiâ, quae ex hujusmodi ideis nascitur. Quidquid igitur extra ideas humanas est, id aut ad fidem pertinet, aut inter ignota referendum est.

II. Ea inter nos habere certa, quae aut clarâ intuitione, & conscientiâ, aut clarâ demonstratione ab omnibus intelliguntur: nam non habemus aliud veri criterium.

Si-

III. Si principia demonstrationum sunt evidentia, & consequentia necessaria, non esse de demonstrationibus dubitandum, idcirco quod non ita afficiamur conclusionibus, ut omnis abscedat scrupulus: id enim fieri potest ob inveterata infantiae, vel phantasiae, & sensuum praejudicia.

THEO-

THEOREMATA
CAPUT I.

Generalia quaedam Theoremata de Ente, Nihilo, & Possibili.

Prop. I. & II. NOn potest idem simul esse, & non esse; neque unum, idemque ens constare ex essentialibus, aut atributis, quae se mutuò destruunt.

Sch. Philosophi, qui nimis subtiliter primum aliquod, ac praecipuum totius humanae cognitionis principium quaesiverunt, in varias partes abiere. Plerique hoc principium, quo omnes nostrae cognitiones nituntur, esse existimant: *Non potest idem simul esse, & non esse*; Schotistis videtur placuisse hoc: *Ens est ens*: Lokio: *Quidquid est, est*: Cartesio: *Cogito; ergo sum*. Sed Gerardus Titius in *Arte cogitandi* jure negat ullum esse hujusmodi principium, ex quo tota scientia nostra proficiscatur: hu-

humanae enim cognitiones non ex universalibus principiis primùm fluunt; sed a singularibus profectae ad generalia conferuntur, seu naturâ ipsâ humanae rationis, seu mediatione, eo modo, quo saepe dictum est. Quare pro rerum diversitate plures ac diversae in nobis ingenerantur primae veritates, & principia prima, in quae possis humanas Scientias resolvere. Nisi verius dicere velimus, eas resolvi omnes in singularia judicia, ex quibus primùm profectae sunt.

Prop. III. Ex nihilo nihil suapte naturâ fit, id est nihil suapte naturâ fit sine causa, in qua aut *formaliter*, aut *eminenter* non contineatur. Hoc axioma est ex eorum numero, quorum opposita sunt intrinsecus impossibilia. Itaque certum est certitudine mathematicâ.

Prop. IV. Si ex dato, aut hypothesi ea per justam & necessariam consequentiam sequantur, quae se mutuò destruunt, datum illud impossibile est. Demonstratio. Nam si ea sequantur, in dato illo continentur, cum autem sint contraria; datum illud ex iis constabit,

quae

quae se mutó destruunt; quod esse non potest, (per *propositionem* 2.) Ex. gr. si ponatur circulus quadratus, sequetur omnes diametros aequales simul esse, & inaequales simul esse, & inaequales, quae quum sint pugnantia, hujusmodi datum est impossibile. Ponamus iterum Mentem humanam esse corpus; erit illa solida, & cogitans; iners, & libera; quae se mutuò destruunt, ut in secunda parte demonstraturi sumus; ergo positio illa est impossibilis (ex definitione 9.)

Prop. V. Nunquam hypothesis est habenda impossibilis, nisi aut cum pugnantia complectitur, aut demonstratur ex ea sequi pugnantia. D. Nam impossibilia sunt ea, quae pugnantia complectuntur (ex definitione 9.): quare nisi constat datam hypothesim complecti pugnantia, nondum pro impossibili haberi potest.

Prop. VI. Hypothesis est possibilis; si demonstretur, qua ratione esse possit. D. Nam si id demonstretur, pugnantia non complectitur, atque idcirco possibilis est. Ceterum, qui hypothesim aliquam, velut possibilem demonstravit;

non

non id etiam demonstravit, sic se rem habere: aliud enim est rem esse possibilem, aliud existere. Ex. gr. si quis demonstrat possibilem esse Tichonianam hypothesim, quod ad systema Planetarium attinet; is tamen nondum evincit sic rem se habere.

Prop. VII. Nihil est, aut fit sine ratione sufficiente, nam ex nihilo nihil fit (ex propositione 3.). In hoc ergo Philosophi cura posita esse debet, ut rationes rerum sufficientes investiget, nec, ut populus, solis rerum phenomenis contentus sit.

Prop. VIII. In factis entibus duo rerum genera distinguenda sunt, *primitiva*, & ab his *derivata*. Illarum existentiae ratio sufficiens immediata est in prima causa: harum in causis secundis. Ratio vero essentiae immediate quidem in suis essentialibus, remotius vero in eadem causa, a qua fiunt. D. Quia in ea continentur aut *eminenter*, aut *formaliter*. Nam nihil fit sine causa, in qua, aut formaliter, aut eminenter non contineatur (ex prop. 3.): quare ratio existentiae in causa est. Jam essentia po-

posita est in rei essentialibus: ergo in iis est ratio sufficiens, cur res aliqua haec sit aut illa.

Prop. IX. Ratio sufficiens possibilitatis intrinsecae alicujus rei est in rei ipsius essentialibus: possibilitatis vero extrinsecae in causa externa (ex definitione 8.). Idem de ratione sufficiente impossibilitatis dicetur. Itaque ratio sufficiens, cur in dato ente quaedam sunt possibilia, & in ente ipso est, & in causa externa. Ex. gr. si possibile est corpus aliquod dividi in infinitum, necesse est, ut ejus possibilitatis & in ipso corpore ratio sit intrinseca, infinitae nempe numero partes; & in causa aliqua externa, vis scilicet in infinitum dividendi, quae est ratio possibilitatis extrinsecae.

Sch. Explicemus haec aliquot exemplis. Quaero rationem sufficientem existentiae *aeris*, aut *ignis*, aut *primorum plantarum seminum*. In primâ mundi Causâ est. At si quaeram, cur *aer* compressus dilatari nitatur, aut cur ignis omnia permeet, aut ex his seminibus hae plantae, ex aliis aliae nascantur; id ex natura aeris, ignis, seminum de-

finiendum est; quam naturam plenè cognoscam, si ea scire pervelim, necesse est. Si quaeram, possibile ne sit Mercurium transmutari in Argentum, aut Aurum, id item ex horum mineralium naturâ determinandum est. Jam dicimus impossibile esse ex putri animantia sine nullo semine gigni, idque quia comparando vim brutae Telluris, & vim animantem, nullam in bruta materia rationem sufficientem reperimus ejus effectus. Facile est haec ad singula deducere. Sed & facile hinc illud, quod superiùs dictum est, prespicitur, quid sit Philosophum agere.

Prop. X. Nihilum nequit continere rationem ullam ullius rei sufficientem; ac proinde quicumque nihilum dat pro ratione sufficiente, is nullam dat.

Prop. XI. Ratio sufficiens debet esse effectui saltem aequalis. D. Nisi enim sit, est aliquod in effectu sine ratione sufficiente, quod esse nequit (prop. 7.) Pertinet huc illud: *Nemo dat, quod non habet; nec plus, quam habet*: quia si dat, id ex nihilo est, quod pugnat (prop. 3.).

CA-

CAPUT. II.

De natura entis Contingentis, & Necessarii, deque Substantia generatim.

Prop. XII. OMne ens vel est contingens, vel necessarium. D. Nam omne ens vel habet existentiam suam ab alio, vel nullo. Primum contingens est (ex def. 17.), alterum necessarium (ex def. 11.).

Prop. XIII. Si possibilia spectentur, quod ad essentias intelligibiles, sunt necessaria; si vero quod ad existentiam possibilem, sunt contingentia. D. Nam essentiae intelligibiles sunt aeternae (ex definitione 30.), adeoque necessariae (ex definitione 11.); Existentia vero contingentium possibilis aeterna non est; ergo contingens est. Hinc intelligitur, essentias rerum esse aeternas, & immutabiles, nempe essentias intelligibiles: nam etiam si tota rerum univer-

sitas pereat, illae caedem perstant: sunt enim aeternae Dei ideae.

Prop. XIV. Infinita series contingentium sine ente necessario, a quo pendeat, est intrinsecus impossibilis. D. Nam cujuslibet contingentis ratio existentiae est in anteriori (ex propositione 8.); ergo omnium. Negato autem ente necessario, a quo haec contingentia pendeant, ratio eorum existentiae erit ex nihilo, id est nulla (ex prop. 10.), quod repugnat (ex prop. 7. & 8.) Itaque Fatum, quod Democriticum dicimus, quo continetur progressio causarum in finitum a parte anteriori, est impossibile; quia in ea progressione omnes causae sunt contingentes, nulla aeterna, & necessaria.

Prop. XV. Quod ens rationem sui conservatricem in se, & naturâ suâ habet necessariam, id est, quod solâ suâ, naturâ, & necessario existit, & conservatur, immutabile esse debet. D. Nempe huic enti mutatio, neque extrinsecus accidere potest, quando solâ suâ naturâ existit, & conservatur; nec intrinsecus, quum sui ratio conservatrix, tam

sit aeterna, & necessaria, quàm existentia. Quare necessarium axistentiae est etiam necessarium essentiae.

Prop. XVI. Necessarium existentiae, & essentiae esse debet infinite perfectum; & infinite perfectum habere debet essentiam & existentiam necessariam. Prima pars sic ostenditur. Si ens necessarium existentiae, & essentiae non est infinite perfectum, ejus essentia limitata est, ac proinde mutabilis, id quod esse non potest (per prop. 15.). Secunda vero pars hunc in modum demonstratur. Quod est infinite perfectum nullos habet suae essentiae limites; ergo a nulla causa pendet: quodcumque enim ab externa causa pendet, limitatum est: quod vero a nulla causa pendet, est necessarium existentiae, ac proinde essentiae; ergo infinite perfectum est necessarium existentiae, & essentiae.

Prop. XVII. Omnia contingentia sunt mutabilia & vicissim. D. Primum, contingentia nequeunt esse infinite perfecta (ex prop. 16.), nec in se habere plenam rationem sufficientem essentiae, & existentiae: quae vero talia sunt, suapte

na-

naturâ sunt mutabilia, ergo contingentia sunt naturâ sua mutabilia. Hinc fit, ut in contingentibus non detur *idem Metaphysicum*. Alterum; quae sunt mutabilia, nequeunt esse necessaria (per prop. 16.): quod vero necessarium non est, id contingens est (ex prop. 12.); ergo omnia mutabilia sunt contingentia.

Prop. XVIII. Ens aeternum est ens simplicissimum D. Nam est necessarium existentiae, & essentiae: adeoque immutabile (ex prop. 15., & 16.); quod autem est immutabile, id simplicissimum sit, necesse est; ens ergo aeternum est simplicissimum. Itaque ens aeternum nec diversorum quidem statuum compositioni subjectum esse debet: est ergo *idem Metaphysicum*.

Prop. XIX. Existunt contingentia. D. Nam omnia hujus universi entia, quae aut sensibus nostris objiciuntur, aut conscientiâ intelliguntur, non sunt simul, ac semel totum id, quod esse possunt, nec omnes status possibiles simul, ac semel habent, sed sunt perpetuae statuum mutationi obnoxia: ergo sunt contigentia (per prop. 17.).

Prop.

Prop. XX. Existit substantia aliqua aeterna, & incorporea. D. Existunt contingentia (per prop. 19.); ergo & necessarium aliquod (per prop. 14.); id vero est simplicissimum (per prop. 18.), adeoque incorporeum. Existit ergo ens aeternum, & incorporeum. Quoniam vero id per se ipsum existit, est substantia aeterna, & incorporea.

Prop. XXI. Contingentia nequeunt esse attributa, aut partes, aut modificationes substantiae aeternae. D. Est enim illa substantia simplicissima (per prop. 18.) & immutabilis (per prop. 15.); contingentia vero mutabilia (per prop. 17.) Ex quo sequitur partes mundi, quae sunt contingentia (per prop. 19.) haberi non posse pro partibus, attributis, aut modificationibus Dei, quemadmodum putant Pantheistae.

Prop. XXII. Est impossibile intrinsecum attributa, aut modos existere sine ulla substantia. D. Nam si sine substantia existerent, per se subsisterent, essentque substantia, non vero attributa, & modi substantiae. Itaque essent, & non essent substantiae, quod est impossibile intrinsecum (ex def. 9.). Prop.

Prop. XXIII. Praeter substantiam aeternam necesse est, ut existant aliae substantiae factae. D. Nam existunt contingentia (per prop. 19.) quae ad naturam substantiae aeternae pertinere nequeunt (per prop. 21.): cum autem attributa, & modi existere nequeant sine substantia propria (ex prop. 22.) sequitur contingentia isthaec aut esse substantias, & quidem factas, quia non aeternae; aut esse attributa, & modos substantiae alicujus factae. Manifestum igitur absurdum est, quod Pantheistae docent, praeter Deum, nullam dari, nec concipi posse substantiam.

Prop. XXIV. Substantia etiam facta, si metaphysice accipiatur, nequit esse nisi simplex. D. Nam substantia a nulla re intrinsecus pendere debet (ex definitione 21.): Composita vero intrinsecus pendet a componentibus, ut dici potius possint composita ex substantiis, quàm substantiae: substantantantia ergo nequit esse composita, adeoque omnis substantia ens simplex est. Corpora ergo sunt aggregata ex simplicibus substantiis.

Prop. XXV. Substantia contingentium

nec

nequit esse una, & indivisibilis. D. Nam omnis substantia est simplex (per prop. 24.); adeoque indivisibilis: contingentia autem alia ab aliis dividuntur & separantur, ut patet; eorum igitur substantia nequit esse una, & indivisibilis.

CAPUT III.

De Relatione, deque Substantiarum origine, & indestructibilitate.

Prop. XXVI. RElatio intellectualis nihil realis perfectionis enti addit; quare potest res quaelibet infinitas relationes intellectuales aut acquirere, aut amittere, quin suae essentiae quidquam accedat, aut dematur.

Sch. Sed quoniam possunt relationes etiam reales per alterius tantum subjectum mutari; fit, ut possit ens aliquod relationes acquirere novas, aut veteres amittere, quin mutetur.

Prop. XXVII. Nequeunt entia realiter distingui solâ relatione intellectuali

D.

D. Nam ea realiter distinguuntur, quae separatim intelligi, & esse possunt (ex def. 40); id autem efficere nequit sola relatio intellectualis, quae nihil perfectionis enti addit (ex prop. 26.) ergo &c.

Prop. XXVIII. Rerum relationes reales ab ipsarum rerum essentiis profluunt. D. Nisi enim inde profluant, aut nullae sunt, aut non sunt reales (contra hypothesim.)

Prop. XXIX. Primarum Universi substantiarum relationes reales sunt aeternae, & necessariae. D. Nam pendent ab earum substantiarum essentiis (prop. 28.), & hujusmodi essentiae sunt aeternae (prop. 13), ac proinde necessariae: quare & relationes illae sunt necessariae.

Prop. XXX. Ordo quum totius universi; tum singularum partium, aeternus est, & necessarius, si essentiam spectemus: existentia contingens, & arbitraria. D. p. pars. Nam ille ordo relationibus substantiarum realibus continetur, eaeque relationes aeternae sunt, & necessariae (prop. 29.). Secunda pars; quia rerum existentia divinae tantùm voluntati debetur

tur; eaque plene sui juris est, ut paullo post demonstrabitur.

Prop. XXXI. Substantia finita realem habet relationem dependentiae cum infinita. D. Nam ea est contingens (per superiora), nec habere potest rationem sui sufficientem, nisi in ente aeterno (prop. 14.), idest in infinito (prop. 16.).

Prop. XXXII. Substantia non potest nisi a substantia produci. D. Nam nec ex nihilo (prop. 3.), nec ex non substantia, quippe quod existere nequit (prop. 22.).

Prop. XXXIII. Una Substantia nequit produci ab alia per essentialem emanationem. D. Primum: substantia non est, nisi ens simplex (ex prop. 24.); ergo nequit ab una substantia alia extrinsecus emanare. Deinde si substantia B per essentialem emanationem prodeat a C, continebitur formaliter in C, ut patet: nihil enim est aliud essentialis emmanatio, nisi nova partium substantiae, a qua res emanat, modificatio, aut explicatio, ut in seminum, & ovorum emanationibus videre possumus; ergo substantia B intrinsece pendebit a C, atque id-

idcirco non erit substantia ab illa distincta (per definit. 11.); sed vel ejus attributum substantiale (ex definit. 24.), vel modificatio.

Prop. XXXIV. Non est impossibile substantiam ex sui nihilo ab alia substantia creari. D. Nam quoniam praeter substantiam aeternam existunt aliae substantiae factae (ex prop. 23.); & a facto ad potentiam necessariò concluditur; sequitur non esse impossibile unam substantiam ab alia creari.

Prop. XXXV. Substantiae contingentes creatae sunt ex nihilo sui a substantia aeterna, & quidem solâ voluntate. D. Nam substantiae istae sunt factae (ex definit. 17.), & quidem ab alia substantia (ex prop. 32.) cum autem repugnet progressus in infinitum (per prop. 14), factae sunt a substantia aeterna. Jam non sunt factae per emanationem essentialem (per prop. 34.); ergo creatae sunt ex nihilo sui. Secunda pars sic. Hae substantiae non sunt per emanationem essentialem (p. 34.); nec ex praecedente materia, quia simplices (p. 24.); nec ullis materialibus instrumentis fieri potue-

re,

re, quia a substantia simpliscissima; ergo nihil reliquum est, quod dicatur, nisi ut solâ voluntate creatae sint.

Prop. XXXVI. Ens aeternum, quod esse aliquod propositio 24. demonstrat, quodque esse simplicissimum ostendit prop. 18. & infinite perfectum prop. 16. esse debet mens intelligentissima, & potentissima. D. Nisi enim id sit, non potuere ab ea mundanae substantiae solâ voluntate creari, quemadmodum in superiori propositione confecimus.

Corollarium primum.

Actio creationis ex nihilo haberi debet pro infinita; quia ejus substantiae propria, in qua voluntas, & potentia unum, idemque sunt, quae esse nequit, nisi substantia infinite perfecta.

Corollarium secundum.

Vis creatrix ex nihilo non potest convenire substantiis finitis; quia eae, solâ voluntate, ut aeterna, creare nequeunt. Quare non dantur naturales produ-

ductiones substantiarum, quia hae essent naturales creationes.

Prop. XXXVII. Naturae vi nulla substantia in nihilum abire potest, ut naturae vi nulla ex nihilo fieri. D. Quia substantiae sunt entia simplicia (prop. 24.); ergo perire nequeunt dissolutione, sed cessatione ejus vis, qua existunt: quum autem ea vis sit infinita (coroll. 1. prop. 36.) nequit convenire naturae finitae (coroll. 2. ibid.): quare ut non datur Creatio naturalis, ita nec annihilatio naturalis.

Prop. XXXVIII. Generationes, & corruptiones naturales sunt variae modificationes, & determinationes substantiarum primigeniarum juxta leges naturae physicas. D. Nam sunt nec creationes ex nihilo, nec annihilationes (per superiorem prop.)

CAPUT IV.

De essentiarum origine prima, deque primis hujus rerum universitatis exordiis intelligibilibus.

Prop. XXXIX. MUtatâ essentiâ mutetur natura, necesse est; nam natura, seu principium activum entis, ut hîc accipio, est ejus essentialle attributum. Quocirca entis essentiâ mutatâ, natura quoque mutatur. Quod si in dato aliquo ente natura non sit amplius eadem, ne essentia quidem erit eadem, ob eandem rationem. Caeterum mutatae naturae argumentum est, si ex eadem re non iidem effectus sequantur. Ita si pulvis pyrius non amplius ardeat, aer non sit amplius elasticus &c. horum corporum mutata sit natura, necessarium est; ergo & essentia. Essentiam dico non genericam, sed speciei.

Prop. XL. Rerum essentiae archetypae, seu intelligibiles aeternae, immutabiles sunt; mutabiles vero creatae. D. Nam

Nam primae sunt ipsamet Entis aeterni intelligentia, quae in se omnia representat. Secundae vero utpote contingentes non habent in se rationem sufficientem suae conservationis.

Prop. XLI. Ratio sufficiens omnium possibilium est in ente aeterno. D. Possibilia sunt contingentia (prop. 13.) ergo rationem sufficientem habent in ente aeterno (prop. 14.)

Prop. XLII. Existunt in Ente aeterno essentiae intelligibiles numero, & varietate infinitae, ac existunt quidem in ejus intellectu, tanquam in potentia intelligibiliter creatrice, in ejus essentia, tanquam in infinita perfectione eminente, in ejus tandem potentia, & voluntate, ut in causa possibilitatis extrinsecae. Clarius: Mens aeterna, & infinita possibilia intelligit, & ea in sua infinita natura eminenter representat, & suâ infinitâ potentiâ efficere potest; quidquid possibilis intelligit. Ejus propositionis ratio est, quod Mens aeterna sit intensive, & extensive infinite perfecta; adeoque continere debeat rationem sufficientem infinitorum possibilium. Enimverò si ea

ra-

ratio in ea non est, nullibi est: est autem; quia possibilia sunt infinita; & quidem aeterna: nec in alia re, quàm in ente aeterno: nec potest esse in Ente aeterno, nisi ejus essentia omnia repraesentet, ejusque potentia ad omnia protendatur; ergo Mens &c.

Prop. XLIII. Rerum factarum, earumque ordinum essentiae intelligentiae Dei debentur: existentia vero voluntati. D. Nam essentiae rerum, & ordinum primum intelligibiliter creantur, cum ab intellectu Dei intelliguntur. Jam existunt extra Deum non per essentialem emanationem (ex prop. 34.); sed per Creationem, adeoque voluntate Dei

Prop. XLIV. Omnia possibilia systemata, sive ordinationes substantiarum possibilium intelligentia Entis aeterni continentur. *D.* Nisi enim intelligentia Entis aeterni haec omnia comprehenderet, possibilia non essent: nam prima causa possibilitatis rerum est Entis aeterni intelligentia (prop. 41. & 42.), quae possibilia intelligens intelligibiliter primum creat.

Prop. XLV. Si terra ordinatum est,

quod existit ex primis substantiis, aut substantiarum seriebus secundum reales relationes dispositis: perturbatum vero, quod contra eas relationes est.

Prop. XLVI. Infinities infinita possibilium substantiarum systemata seu ordinata, seu perturbata, sunt possibilia. D. Nam singulae possibiles simplices substantiae possunt cum singulis conferri, indeque nasci variae series, & concatenationes; quae si fuerint conformes substantiarum essentiis, omnes erunt ordinatae, ac propterea systemata ordinata; sin contra, perturbata. Quum autem essentiae substantiarum simplicium possint esse ob diversas naturas in infinitum diversae: nasci possunt infinita genera substantiarum simplicium, atque ex singulis generibus infinita earum systemata: ergo infinities infinita, &c.

Sch. Tirones hinc conjecturam facere possunt, quod ex doctrina combinationum 10. literae dant 13., 628., 800. combinationes diversas: & 24. Alphabeti literae dant hunc combinationum num. 520., 448., 401., 753., 339., 539., 360., 000., Vide Tacquet Arith. Prat. lib. V. c. 8.

Prop.

Prop. XLVII. Nec minus evidens est, possibilia esse systemata composita ex pluribus simplicioribus. D. Nam ut ex similibus substantiis ejusdem generis nascuntur series simplices, ita & ex similibus hujusmodi seriebus conflari possunt systemata majora.

Prop. XLVIII. Singula systemata legibus suis, & propriis reguntur. D. In systematibus enim ordinatis secundum reales relationes (p. 45.) aut similes substantiae cum similibus copulantur, aut systemata similia similibus, ita, ut totum systema ex essentiis substantiarum fluat, iisque sit aptatum. Nequeunt autem ita se habere, nisi suis, & propriis legibus regantur; ergo singula systemata ordinata suis, & propriis legibus reguntur. Jam systemata perturbata, etsi contra reales relationes, coagmentata tamen esse debent; nec vero esse coagmentata possunt sine quibuscumque tandem regulis, & legibus. Ergo &c.

Prop. XLIX. Omnia systemata ordinata adaptata sunt & essentiis substantiarum, & essentiis ordinum similium, ac propterea hoc sensu sunt aeque per-

facta. D. Quia sunt omnia ordinata: (prop. 45.). Qua ex re sequetur omnes mundos possibiles, hoc sensu dispositos esse aeque perfectos.

Prop. L. Caeterum systemata illa ex natura ipsa intelligibilium substantiarum profluunt. D. Cum enim sint ordinata (ex hypothesi), essentiis substantiarum intelligibilium aptata esse debent, ac propterea nasci ab essentiis substantiarum ipsarum.

Prop. LI. Peculiarium systematum illorum perfectio pendet a perfectione totius. D. Nam pendet ab ordine totius (per ant. prop.)

Prop. LII. Earum peculiarium substantiarum felicitas, quae felicitatis sunt capacia, separari nequit a perfectione totius systematis, cui innectuntur. D. Nam haec felicitas separari nequit a propria harum substantiarum perfectione: nec hujusmodi perfectio sine totius systematis perfectione concipi. (per prop. ant.)

Sch. Itaque homines conqueri nequeunt, se esse miseros, ac ad miseriam destinatos, nisi unâ operâ sibi persuadeant, se non esse perfectos, id est ordinati

mun-

mundi partes. Mundum vero hunc, ad quem pertinent, nullo pacto possunt demonstrare ordinatum non esse.

Prop. LIII. Quod ad existentiam systematum istorum spectat, ut haec potius, quàm alia existant, pendet a finibus mentis aeternae. D. Nam id pendet a voluntate mentis aeternae (ex pro. 43); voluntas vero determinatur a fine (ex definit. 67).

Sch. Quid si voluntas ipsa per se sit tota ratio sufficiens rerum existentiae? Ita videtur quibusdam. Mihi contrà videtur esse hoc extra omnes ideas humanas, ut voluntas nullo fine, ac nullâ ratione determinetur

Prop. LIV. Nullum contingens, atque idcirco nullum contingentium systema, necessario existit, scilicet, ut non potuerit non existere. D Nam cum existant voluntate mentis aeternae (ex prop. 43.), quae nullâ necessitate cogi potest ad extra se agendum, ut paulo post docebimus; nequeunt existere necessario.

Prop. LV. Est exploratum, hanc rerum universitatem, quam & *naturam* re-

rerum vocant Philosophi, esse magnum quoddam systema ex simplicioribus aliis secundum reales substantiarum relationes coagmentatum. D. Nam ex simplicibus monadibus conficiuntur primae, & simplices series, ex his seriebus aliae, atque aliae magis compositae, donec totum systema mundanum emergat. Nam id copiose & Naturae Historici, & Astronomi demonstrarunt.

CAPUT V.

De Legibus, quibus rerum universitas regitur, generatim disseritur.

Prop. LVI. LEges naturae mechanicae, quibus hoc universum regitur, sunt quidem quod ad essentiam necessariae: quod ad existentiam vero absolute contingentes. D. Leges ordinum systematum essentiis substantiarum sunt aptatae, atque ex iis fluunt (ex prop. 49. & 50.), quibus idcirco positis, hujusmodi leges sunt necessariae quod ad essentiam. D.

Totum mundanum systema contingenter existit. Porro quae sint hujusmodi leges mechanicae copiose explicatum est a Physicis. Vide & Wolfium in Cosmologia. Nos genericas quasdam hîc indicabimus.

Prop. LVII. Chaos, & ordo inter sese opponuntur: quare fit, ut in universo aut Chaos regnet, aut Ordo necesse sit.

Prop. LVIII. Attractio singulorum materiae elementorum, seu vis qua in mutuos amplexus ruunt, & arcte cohaerent, est primaria lex cosmologica. D. Nam sine ea corpora coalescere nequeunt, atque e Chao emergere; itaque sine ea esse ordo in universo nequit: ac propterea (per def. 35.) est primaria universi lex:

Prop. LIX. Gravitas est altera item primaria lex cosmologica. D. Nam leges mechanicae sunt ea normae quibus universi Ordo continetur (def. 35.) jam sine gravitate seu viribus centripetis, nullus esse potest in natura ordo; quia ubi nullae sunt in natura vires centripetae, necesse est, ut nulla sint corporum

cen-

centra, nec ulli motionum magnorum corporum fines: gravitas ergo est primaria universi lex mechanica.

Prop. LX. Vires centrifugae sunt tertia lex cosmologica. *D.* Nam sine iis viribus, ubi locum habent duae priores, tota materia circa unum centrum coit, nullâ discretione, nec ordine. Fing. ex. gr. Planetas solâ gravitate in solem agi, fiet unum continuum corpus ex Sole & Planetis.

Prop. LXI. Antitypia est quarta lex cosmologica. D. Nam, eâ sublatâ, corpora cum corporibus compenetrantur, si vel minimum inter se confligant: quare sine ea inter se confligere nequirent. Ut autem auferatur corporum conflictus, & motu privari debent: motu autem sublato, perit universi ordo: ergo antitypia ad universi ordinem efficiendum, & conservandum est necessaria; ea autem est lex cosmologica (def. 35.): antitypia ergo est lex cosmologica.

Prop. LXII. Inertia est lex cosmologica quinta. D. Nam sine inertia minimâ vi omnis mundanus corporum ordo turbaretur. Inertiam autem dico eam vim, qua

cor-

corpora, quae ab aliis pelluntur, aut trahuntur, causae motrici resistunt, ut videantur eam ob vim niti ad statum suum conservandum.

Prop. LXIII. Vires particulares genitales, quibus animantium, plantarum generationes, & series continuatae servantur, pertinent ad leges cosmologicas. D. Eadem est ratio, ac superiorum.

Corol. Attractio, gravitas, vires centripetae, antytipia totam mundanam materiam pervadunt, quum autem sunt vires activae; conficitur totam mundanam materiam esse activam, ut nihil aliud esse universum videatur, nisi substantiarum activarum compages.

Prop. LXIV. Praeter leges mechanicas, quibus universum corporeum regitur, existunt leges naturae morales, quibus Spiritus, qui nobilissima sunt totius universi pars, actiones suas liberas conformare debent. D. Nam quoniam universum totum ordinatissimum est, vult profectò prima ejus causa, cujus voluntate existit, ut ejus naturales relationes, id est ejus ordo servetur. Huic autem voluntati creaturas rationales parere debere, in-

de

de perspicuum est, quod sit voluntas supremi totius universi Domini. Cum autem voluntas supremi universi imperantis ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans, creaturis rationalibus per rationem communicata, sit lex naturae moralis (ex definit. 36.); siquitur existere legem naturae moralem.

Prop. LXV. Quilibet debet obsequium, & amorem Deo, sibi custodiam, aliis justitiam, & amicitiam, eaque sunt tria generica principia legis naturae, & officiorum naturalium. D. Primum, Deus est universi Dominus, & Creaturarum rationalium parens amantissimus: Domino autem, & Patri obsequium, servitus, & amor naturaliter debetur. Alterum: Quilibet homo pars est universi, quod Deus ordinate conservari vult; ergo quilibet homo ex Dei voluntate conservare, & custodire se debet. Tandem Deus idem supremus mundi Imperator vult profectò, ut omnes homines bene, beateque conserventur: nequeunt autem ita conservari sine mutua justitia, & amicitia, ut scilicet nullà in re se se laedere parati sint, & quocumque possunt modo juvare; vult er-

ergo ut homines inter sese justitiam servent, & mutuâ amicitiâ copulentur.

Corol. Ex quibus sequitur, ut quae hominum officia his Legis naturalis principiis sunt contraria, sint Legi naturali adversa. Cum vero, quae sunt Legi naturali adversa sint ordini mundano adversa, & quae sunt ordini mundano adversa, ea sint contraria hominum perfectioni, nec possunt esse hominum perfectioni contraria, nisi sint felicitati (ex prop. 52.); sequitur omnem transgressionem Legis naturae comparatam esse ad nos infelicitandos.

Prop. LXVI. Leges naturae seu mechanicae, seu morales, quibus haec rerum universitas gubernatur, ex hypothesi sunt immutabiles. D. Nam hujusmodi leges relationes substantiarum sequuntur: ergo his substantiis positis, quibus rerum universitas constat, eoque systemate, quo continentur, non possunt esse aliae. Quare sunt ex hypothesi immutabiles.

CA-

CAPUT VI.

De rerum Identitate, Differentiâ; & Distinctione.

Prop. LXVII. Quae sunt entia activa, nisi primum statum perpetuo servent eumdem, nequeunt esse eadem Metaphysica. Patet (ex def. 39.)

Prop. LXVIII. Quaecumque entia sunt activa, ac finitâ vi activâ praedita, nequeunt perpetuo primum sui statum servare. D. Quia earum virium actio nequit esse tota simul; itaque perpetuo alia, atque alia sit, necesse est.

Prop. LXIX. Entia activa universi nequeunt esse eadem Metaphysica. D. Quia nequeunt primum statum servare eundem, quum finitâ activitate praedita sint, (ex sup. prop.)

Prop. LXX. In universo nullum reperiri potest idem Metaphysicum. D. Quia eorum entium, quibus conflatur, nullum

est,

est, quod activum non sit, & finitâ vi praeditum.

Prop. LXXI. Quae eadem sunt eidem, eadem quoque sunt inter se: quae vero aliqua habent eadem eidem, ea habent eadem inter se: & quae similia sunt eidem, similla sunt inter se. Sunt axiomata per se ipsa evidentissima.

Prop. LXXII. Quae solâ ratione distinguuntur, eandem habent essentiam realem. D. Nam si diversam habent essentiam realem, aut sunt duae substantiae, & distinguuntur *realiter*: aut duo ejusdem substantiae attributa, & distinguuntur a substantia *modaliter*, a se vero invicem *formaliter*.

Sch. Animadvertendum hoc in loco est superiora axiomata ex notionibus rerum creatarum in nobis nasci, ac propterea non licere illa extendere extra ambitum rerum nostrarum.

Prop. LXXIII. Quae eandem habent essentiam realem, realiter distingui nequeunt. Et hoc axioma ex genere superiorum est, id est ex rebus nostris profectum.

Prop. LXXIV. Si res Mathematicas ex-

exceperis, resque alias mere abstractas; quarum essentiae sunt tantùm notionales, nescimus, quousque res aliae, praesertim substantiae, inter se conveniant, aut discrepent. D. Nam solae essentiae notionales a nobis adaequate cognoscuntur: reliquarum rerum inadequatas habemus notiones, nec idcirco plene inter se conferre possumus.

Sch. Hinc discimus argumenta, quae dicuntur *analogiae*, tum plene concludere, quum ea, inter quae analogia instituitur, adeo sunt sibi similia, ut sibi mutuo substitui possint in eo, ex quo argumenta ducuntur. Vide Logicam Lib. V.

Prop. LXXV. Contraria medium non habent: hinc fit, ut contrariorun alterum tantum esse posit verum.

Prop. LXXVI. Omnes substantiae distinguuntur realiter. Patet ex definitione substantiae, & distinctionis realis.

Prop. LXXVII. Substantiarum attributa distinguuntur formaliter: nam haec attributa essentiis distinguuntur, non conceptibus tantum. Cum autem non distinguantur realiter, qui non sunt subs-

tan-

tantiae distinctae : sequitur distingui formaliter.

CAPUT VII.

De Uno, & Universalibus.

Prop. LXXVIII. Omne ens est unum sive simplex, sive compositum.

Prop. LXXIX. Nullum est in natura unum universale. D. Nam hoc unum universale aut divisibile esset, aut indivisibile: si primum, unum non esset, sed plura: si posterius, id per se constaret, ejusque res omnes essent modificationes: una ergo esset universi substantia, id est, una substantia contingentium, id quod esse nequit (per prop. 25.)

Prop. LXXX. Repugnat imago entis, quae sit universalis. D. Nam quodlibet ens est unum (per prop. 78.), cujuslibet igitur entis imago rem unam repraesentat; repugnat ergo imago, quae representet plura, id est imago universalis.

Prop. LXXXI. Ex qua propositione se-

sequitur, ideas universales, seu Platonicas *ante omnia*, seu Peripateticas *post omnia*, nullas esse; nam si essent, imagines essent universales, quod esse nequit (per prop. 70.) Ideae ergo, quae dicuntur universales, nihil sunt aliud, nisi perceptio ejus, quod pluribus est commune, vel simile, abstracta ab iis, quae illa distinguunt. Ita perceptio ejus, quod est in hominibus commune, abstrahendo ab iis, quae singulis hominibus sunt propria, idea universalis naturae humanae dicitur, quia ea ad omnes peraeque homines pertinet.

Prop. LXXXII. Duae substantiae distinctae sunt duo distincta subjecta suarum proprietatum.

Prop. LXXXIII. Extensio, ut extensio, non differt ab extensione, nisi loco.

Prop. LXXXIV. Duae purae extensiones compenetratae non ampliùs distinguuntur. D. Nam extensio pura non differt a pura extensione, nisi loco (ex prop. sup.) ergo compenetratae non ampliùs distinguuntur.

Prop. LXXXV. Idea penetrationis duarum

rum substantiarum extensarum idem est cum idea indentificationis earum substantiarum: nisi enim duo illa subjecta identificentur, erit alterum, extra alterum; nec propterea eorum extensiones compenetratae, nec idcirco subjecta ipsa extensa.

Prop. LXXXVI. Identificatio duarum substantiarum producere debet unum subjectum commune proprietatum duorum illorum generum.

Prop. LXXXVII. Eadem identificatio producere debet proprietates tertii generis, quae nec primae sint, nec secundae.

Prop. LXXXVIII. Si ergo extensio spatii est substantia distincta a substantia materiae mundanae, ac penetrantur duae illae extensiones, sequitur tertium subjectum, quod certe spatium vacuum non est. D. Si non sequitur, remanent duo subjecta (per sup) nec identificata, nec proinde compenetrata.

Prop LXXXIX. Hinc sequitur primo, datà substantiâ formaliter in immensum extensa, nullas alias substantias formaliter item extensas existere posse, quae

primam sui naturam servent, sintque ab illa distinctae. D. Nam hujusmodi aliae substantiae compenetrari deberent cum illa, adeoque unam, eandemque efficere (ex prop. super.)

Prop. XC. Sequitur secundo, nullam esse in hoc universo substantiam formaliter, & in immensum extensam. D. Nam si est, una est universi substantia (per prop. 89.), id quod falsum est (per proposit. 25.).

Sch. Itaque nec univarsale reale in universo est, nec idea. D. Nam neque substantia ulla universalis est, nec ulla idea, ut demonstratum est. Quare superest, ut universalia non sint aliud, nisi vocabula.

CA-

CAPUT VIII.

De rerum Activitate, deque Fato Stoico, & Spinozistico.

Prop. XCI. *Vis, potentia, facultas*, sunt attributa, aut qualitates substantiae, seu subjecti alicujus primi, id est per se manifestum. Quocirca datâ potentiâ, vi, facultate, existat ejus primum subjectum, necesse est. Ex. gr. datâ vi motrice, attractrice, gravitationis, necesse est, ut ejus vis subjectum aliquod existat. Ita quum constet dari vim magneticam, electricam, vim comburentem corpora, vim elasticam, esse earum virium subjecta debent. Datâ vi intelligendi, existere debet subjectum intelligens.

Prop. XCII. *Actio est* aut attributum potentiae, aut effectus. Itaque ut potentia esse nequit sine substantia, cujus est potentia, ita actio sine potentia acti-

va, atque adeo sine substantia concipi nequit.

Prop. XCIII. Neque actio, neque potentia proprie substantia dici possunt, cum sint substantiae, seu subjecti alicujus, aut attributum, aut effectus. At datâ actione, necesse est, ut detur potentia, & proinde substantia hujus potentiae. Ita datâ intellectione, necesse est, ut detur potentia intelligens, & propterea substantia intelligens.

Prop. XCIV. Actionum duo distincta genera cognoscimus, *motum*, & *cogitationem.* Nam cogitationem non esse motum probat conscientia cognitionis, quae motui convenire nequit, quod nos in secunda parte demonstrabimus.

Prop. XCV. Existit substantia, & principium activum ut cogitationum, ita & motionum, quae in rerum naturâ sunt. D. Nam existunt cogitationes, & motiones, quae esse nequeunt sine aliquo earum activo principio (ex prop 91.)

Prop. XCVI. Si Æterna substantia intelligentissima sit principium activum motionum, & cogitationum, quae sunt

in

in universo, motiones istae, & cogitationes ad ejus substantiae essentiam non pertinebunt. D. Nam motiones, & cogitationes, quae sunt in rerum naturâ, & contingentes sunt, ut patet: contingentia autem nequeunt pertinere ad essentiam substantiae aeternae (ex prop. 21.)

Prop. XCVII. Vires activae contingentium sunt a substantia aeterna. D. Vires activae contingentium pertinent ad essentias contingentium: sunt autem contingentia a substantia aeterna (prop. 14.) ergo & eorum vires activae.

Prop. XCVIII. Causae necessariae agunt semper totis suis viribus. Ita lapis, dum per aerem decidit, totâ suâ gravitate decidit: eláteres qui restituuntur, totis suis viribus restituuntur: aqua, quae decurrit, totâ suâ gravitate, & fluiditate decurrit. Quin in hoc sunt necessariae, quod se ip as modificare nequeunt, sed a causis externis modificantur.

Prop. XCIX. Substantia aeterna nulla necessitate naturae suae determinari potuit ad creationem contingentium. D. Nam cum contingentia nec ad substantiae illius essentiam pertineant: nec ab illa

per

per essentialem emanationem prodeant; nec sint infinite bona, & perfecta, ut vi summâ illam permovere possint; nulla est hujus necessitatis ratio sufficiens.

Prop. C. Ex quo sequitur universum hoc summâ libertate a substantia aeterna creatum esse. D. At vero, si substantia aeterna universum necessitate naturae creavisset, adeoque necessitate naturae egisset, ea egisset semper, & ubique, quantum potest: nam ea est conditio causarum necessariarum (prop. 98.). Ita autem fieret, ut singuli effectus aequales essent vi hujusmodi causae, id est infiniti, quod falsum est.

Prop. CI. Sequitur secundo, nullum esse Fatum Spinozisticum. D. Nam Fatum Spinozisticum est infinita rerum series necessario ex Dei naturâ manans (ex definitione 62.). Res vero extra Deum nec a Dei naturâ manant (prop. 35.), nec necessariò, sed summâ libertate fiunt (ex prop. 99., & 100.); ergo nullum est Fatum Spinozisticum.

Prop. CII. Universum eâdem libertate, qua creatum est, conservatur. D. Nam

Nam conservatio eâdem actione fit, qua creatio; ergo quemadmodum liberè creatum est universum, ita liberè conservatur.

Prop. CIII. Sunt in universo res, quae agere possunt aut totis viribus, aut parte virium, majori, vel minori, idque ex praescripto suae rationis, & voluntatis. D. Nam ita agunt homines. Dum digito corpus aliquod premo, sentio, me majori, aut minori vi premere posse, rarique accidunt casus, in quibus totis naturae viribus agere velim. Hujusmodi causa necessariae non sunt (prop. 98.).

Prop. CIV. Nullum est Fatum Stoicum. D. Nam aut Fatum Stoicum idem est atque Spinozisticum, & nullum est (per propositionem 101.); aut est necessitas conservationis, cui ipse Deus subsit; & nulla est (per prop. 102.); aut tandem est series causarum, quae omnes necessariae sunt, etsi prima sit libera, & revincitur (per prop. 103.), qua constat non omnes universi causas esse necessarias. Nullum ergo immite fatum, nec Democriticum, nec Spinozisticum, nec Stoicum, nec Mahummedanum, nec Astronomicum res mundanas rapit.

CAPUT IX.

De natura mundani spatii.

Prop. CV. CUm Philosophi magni nominis spatium vacuum undequaque immensum velut corporum omnium communem locum existere opinentur, eam nos rem accurate expendemus: velut id, quod ad Cosmologiae intelligentiam in primis est necessarium. Primum autem argumenta eorum, qui vacuum istud esse arbitrantur, examinabimus; deinde in naturam ipsam spatii mundani inquiremus. Qua in re hoc primum constituamus, existentiam spatii vacui non posse a nobis directe cognosci. Nam quum hoc spatium constituatur esse incorporeum nihil agens, nihil patiens, nec ipsum per se objectum sensationum nostrarum esse potest, nec ejus ulli effectus. Oblique igitur, si quod est, pervestigandum est.

Prop. CVI. Nec gravitatem, nec soliditatem, ac cohaesionem corporum cognos-

gnoscimus absolute, sed relative. Nempe gravia dicimus, quae vi aliquâ ad commune centrum adigi sentimus. Itaque gravitas non est, nisi vis centripeta. Similiter eam extensionem dicimus solidam, & cohaerentem, quae tactui resistit. Quare soliditas est vis resistendi, ex qua impenetrabilitas nascitur.

Prop. CVII. Fluidorum elasticorum particulae ab omni parte aequaliter premuntur, & reprimunt. Id demonstrari potest experimentis aeris, aquae, &c.

Prop. CVIII. Ex motu corporum terrestrium, & Astrorum, aequalibi & perenni circulatione, ex motu Cometarum, ex jactu luminis Fixarum, nulla certa argumenta pro vacui existentiâ desumi possunt. Ex his phaenomenis ita Epicurei argumentantur. Primo nisi essèt vacuum, in quod corpus eat, cum omnis materia sit aeque solida, nullum corpus commoveri posset, quoniam nullum esse posset principium motûs. Secundo motus Astrorum in spatio pleno fieret in dies tardior ob resistentiam medii. Tertio ingentes Cometarum caudae, qui hac, illac moveri possent sine vacuo? Quarto

lu-

lumen Fixarum in tanta a nobis distantia numquam ad nos deveniret a medio solido continenter retusum, &c.

Sed non necessario haec argumenta concludunt. Principio positis in corporibus viribus motricibus, iisque perennibus, ac locatis corporibus crassioribus in spatio fluidissimo, nec gravi, nec tenaci, impetu virium illarum spatii parte aliqua mota, idque facillime ob ejus mobilissimam naturam, illuc corpus progreditur spatio fluido per latera deorsum impulso. Id observamus oculis, & tactu, dum manum per aquam, vel aerem movemus. Quare non magis est captu dificile, Cometas, & Planetas, per spatium subtilissimae, fluidissimae, mobilissimae, eoque maxime flexibilis, nec gravis materiae moveri, quam naves ac pisces per mare. Quin quum haec ita moveri videamus, ut tantum spatii anterius describant, quantum aquae retrò per latera impellant, quid vetat id de reliquis corporibus opinari? Porro lumen Fixarum idcirco tam parva quantitate a nobis cernitur, quod per vacuum non pertranseat. Qui, inquiunt, tantum spatii
eme-

emetitur usque cum tot corpusculis luctando? Quia nempe magnâ vi urgetur, qua semitas sibi aperit: nam quaero cur Caete a glaciali Oceano in Atlanticum usque penetrat, tantum aquarum impellendo? At enim, cur ea vis non tandem aliquando tandiu retusa cessat? Nempe cessat tandem, inde enim fit, ut infinitae sint Stellae fixae, quas non cernimus. Quare ea phaenomena non necessarium vacuum esse concludunt.

Prop. CIX. Cur corpora sint gravia, incertum adhuc est. Fatentur id Philosophi omnes ingenuè. Neque probari melius potest, quàm diversitate sententiarum super principio gravitatis. Ac quamquam Viri hodie doctissimi esse eam vim corporibus intrinsecam opinentur; id interea non satis certum est & exploratum.

Prop. CX. Sed nec utrum omnia corpora sint gravia est exploratum. Ignis recentes & gravissimi philosophi gravitatem negant. Lumen esse centrifugum id perspicue probat, quod e Fixis, & Sole, velut a centro spherae in ambitum continenter egreditur, nostrumque vorticem

cem ingressum statim elabitur. Id demonstrat esse posse fluida alia centrifuga.

Prop. CXI. Ex quibus propositionibus sequitur, ex majori, vel minori gravitate corporum nullum argumentum pro vacuo statuendo desumi posse: cum enim ignoretur, cur corpora sint gravia (ex prop. 109.); praeterea an omnia sint gravia (prop. 110.) sequitur & ignorari, cur quaedam graviora, alia minus gravia sint. Quare qui conjiciunt corpora minus gravia esse, quae plus vacui interspersi habent, ii ex principio ignoto argumentantur, aut *petunt*, quod ajunt *principium*.

Prop. CXII. Nec magis validum est argumentum desumptum ex corporum densatione, vel rarefactione. Nam in crassioribus corporibus densatio contingit, ipsis fatentibus vacui patronis, cum aqua, aer, aut alia subtilior materia expellitur, corporumque eorum partes arctius conjunguntur; rarefactio vero cum hae partes distrahuntur, admisso aere, aut aliâ subtiliori materia. Tenenda est in Physicis regula: Naturam eâdem arte, iisdemque legibus, & instrumentis agere in

par-

parvis corpusculis, aut in tenuibus, quibus agit in magnis, & crassioribus.

Prop. CXIII. Quod pertinet ad resistentiam, qua corpora mota in fluidis tenacibus majorem alibi, alibi minorem patiuntur, id vacuum non probat, sed tantum probat fluidorum corporum tenacitatem, & gravitatem non esse in omnibus aequalem. Enimvero corpora resinosa magis resistunt, quam Mercurius, ut minus gravia.

Prop. CXIV. Nec tandem quidquam probat, quod ajunt, naturalem in omnibus esse ideam loci alicujus, in quo mundana corpoa sint, & moveantur. Quidni enim ea idea sit abstracta? Sed ajunt, quo tandem in loco sunt corpora? Quaero, quo in loco sunt pisces? Quo in loco aqua? Nempe, inquiunt in primaevo spatio inani. Quo autem in loco spatium inane? Scilicet ipsum sibi & aliis spatium est. Cur ergo, si id spatium corporeum sit, tenuissimum tamen, non possit ita sibi, & crassioribus corporibus locum suppeditare, ut aqua piscibus? Nempe ex sensuum consuetudine totum illud argumentum concluditur

ut,

ut enim aquam vase, ita vas ipsum alio vase continere opinamur. Porro quum illud postremum vas minus nobis sit notum, incorporeum esse audenter concludimus. Est hoc hominibus familiare, ut ibi incorporea praedicare occipiant, ubi sensuum athmosphaera terminatur.

Prop. CXV. Postquam demonstratum est, nihil esse in argumentis, quae pro vacuo afferuntur, certi & explorati, superest, ut inquiramus in naturam ipsam primae extensionis mundanae, quam esse aliquam necesse est. Qua in re primum omnium constituendum est, ipsam extensionem substantiam non esse, sed aut modum, aut attributum substantiae alicujus. Ea in re consentiunt ii ipsi, adversus quos disputamus. Vide scholion hujus propositionis in opere majori.

Prop. CXVI. Substantia spatii mundani nequit esse substantia a substantia materiae distincta. Nam si spatium est substantia a substantia materiae distincta, erunt duae extensiones formales immensae inter sese compenetratae, quod esse non potest (ex prop. 89.)

Prop. CXVII. Substantia spatii mun-

da-

dani nequit esse una, immobilis, & indivisibilis: nam si ita esset, esset distincta a substantia materiae, quod esse nequit (per prop. superiorem.)

Prop. CXVIII. Substantia spatii mundani, si est ipsa Dei substantia, ut quidam Angli opinantur, Deus est substantia Spinozae. Nempe si ita est, substantia Dei erit formaliter extensa: quae cum penetrat totam substantiam materiae, efficit cum illa unum, idemque subjectum universi, ac propterea Deus erit una, & sola universi substantia, quod est Spinozisticum.

Prop. CXIX. Substantia spatii non est ipsa substantia Entis aeterni. Nam si ita esset, una esset Entis aeterni, & contingentium substantia; quod esse nequit (per prop. 21.)

Prop. CXX. Quoniam ergo substantia spatii mundani non est substantia Dei, nec esse potest distincta a materia, sequitur nihil aliud esse, nisi materiae ipsius extensionem.

Prop. CXXI. Si ergo attendamus ad naturam spatii mundani, facile reperiemus, primum esse illud formaliter exten-

tensum, adeoque ejus partes esse realiter extensas. Deinde non posse non esse intrinsecus divisibile: nam quae sunt realiter distincta, sunt quoque naturâ suâ separabilia. Postremo ejus partes non posse non esse solidas; alioquin minima vi totum spatium mundanum in punctum geometricum abire posset, ut idcirco tanti in eo motus esse non possent. Ex quibus omnibus conficimus esse corporeum, seu esse extensionem fluidissimae, flexibilis, minimeque gravis materiae, quaeque poros crassiorum corporum facile permeare possit, qualis ea est materia, quae extracto aëre superest in Campana Boyleana, quae decidentibus corporibus obstaculum objicere non videtur.

CAPUT X.

De primis corporum substantiis.

Prop. CXXII. Corpora esse composita in perspicuis est. Quum autem composita ex componentibus consistent, in id modo inquirendum est, quaenam sint pri-

prima corpora componentia, seu primae corporum substantiae. Quâ in re illud primum constat, corpora non esse aggregata ex meris modis sine ullis primis substantiis: id enim esse nequit. Quare esse debent in corporibus primae quaedam substantiae.

Prop. CXXIII. Deinde constat non esse unam primam corporum substantiam, sed plures; sunt enim corpora divisibilia in innumeras partes; nec, si una esset eorum substantia, divisibilia essent.

Prop. CXXIV. Constat praeterea primas cujuscumque corporis substantias non posse esse infinita aequalia extensa, aut partes aliquotas minimae etiam magnitudinis: nam infinita aequalia extensa, veluti infiniti pollices cubici, infinitae linae, infinitam extensionem conficiunt. Quare si primae corporum substantiae extensionem sui generis aliquam habent, necesse est, ut finitae sint numero in uno quolibet corpore. Si vero infinitae sint numero, nullam habere debent extensionem.

Prop. CXXV. Sed necesse non est, ut numero sint infinitae primae cujusque

corporis substantiae. Nam ex finitis numero, etsi innumerabilibus, habentibus tamen aliquam extensionem sui generis, id est virium suarum, recte intelligi potest mundana corpora constare.

Prop. CXXVI. Omnes corporum substantiae vi aliqua activa praeditae sunt, quae est earum proprietas essentialis. Primum substantiae corporum, nisi praeditae essent vi aliqua activa, qua sibi mutuo resisterent, ne compenetrarentur, nullo modo extensionem ullam resistentem efficerent. Deinde sunt in singulis corporibus vires quaedam activae, aliae communes, ut vis soliditatis, aliae peculiares, ut vires plasticae, & animales, vires luminis, & ignis, ac *naturae* aliorum corporum. Quum autem quidquid virium est in compositas proficiscatur a componentibus; sequitur & primas corporum substantias esse activas.

Prop. CXXVII. Ex quo sequitur diversitatem corporum, quae in mundo sunt, non provenire a sola diversitate figurae, & situs primorum componentium, sed à viribus maxime activis, & propriis singulorum generum corporum. Nam
si

si à sola diversitate figurae, & situ diversa corporum genera prodirent, omnia corpora possent in omnia transmutari, id quod nec arte unquam, nec natura fit. Mercurius ex. g., Sal, Aqua, aliaque corpora simplicia, nulla nec nuturae, nec artis vi esse possunt aliud, quam quod sunt, in quod tandem redeunt, etiam post omnes transmutationes.

Prop. CXXVIII. Porrò activae illae vires primigeniarum substantiarum omnes sunt incorporeae, id est nec solidae, nec divisibiles, ac propterea non possunt dici corporeae, nisi quatenus ad corpora pertinent. Nam eae sunt propriae primarum substantiarum incorporearum.

Prop. CXXIX. Magna universi corpora coalescere nequeunt, nisi primae, ex quibus constant, substantiae, vi centripeta, seu gravitationis in commune centrum sint praeditae. Nam sine hac vi, qua, ad commune centrum propelluntur, ac propterea aliae cum aliis copulantur, diffluerent, ut nihil inde stabile, ac solidum confici posset. Prima ex g. elementa Telluris, Lunae, Saturni, Solis, &c. nisi vi centripeta essent praedita, alia

ab aliis desilirent; nec proinde quidquam compactum conflare possent.

Prop. CXXX. Haec vis non potest esse attractio centrorum magnorum Orbium. Nam haec centra nihil sunt aliud, nisi puncta indivisibilia, in quae singula eorum corporum elementa undequaque gravitant: haec autem indivisibilia puncta, quae non re sunt, sed imaginatione, haberene etiam quidquam activitatis possunt? Prima ex. g. elementa Telluris in Telluris centrum gravitant. Quid est autem hoc Telluris centrum, ut vi sua ea elementa ab extima aeris regione ad se trahat? Qui id affirmant, ii vim nihilo tribuunt, ac potius quae cupiunt, quam quae intelligunt, pronunciant. Sol inquiunt, magnitudine sui corporis tanta vi est praeditus, ut sexdecim Planetas circum se rapiat. Demus id trantisper. Sed quoniam Sol corpus est compactum; nec id esse potest, nisi singula elementa quibus constat, ad Solis centrum gravitent; (prop. 129.) nec vero ea centra quidquam sunt, nisi indivisibilia puncta; centrumne etiam Solis vi tanta praeditum erit, ut primum singula tanti cor-

po-

poris elementa ad se trahat: deinde ut eamdem vim ad Saturnum usque porrigat?

Prop. CXXXI. In hypothesi spatii immensi, & aeterni centra Planetarum, & Stellarum non possunt esse anteriora directione elementorum eo tendentium. Nam quocumque modo hujusmodi elementa considerentur, seu aeterna, seu creata, quum in infinito spatio puncta sint infinita, quae singula esse possint centra magnae alicujus eorum elementorum partis; necessarium est, ut primum concipiamus elementa vi quadam activa praedita, eaque in centrum aliquod directa, quam hoc centrum. Quare centra hujusmodi sunt seu tempore, seu origine directione elementorum posteriora.

Sch. Qua ex re iterum fit, ut ea vis non attrahens sit, sed propellens, seu interius propellat, seu exterius.

Prop. CXXXII. Haec vis nequit esse corpus aliquod fluidum caetera ad commune centrum apprimens, nisi id fluidum naturae sit diversae a fluidis nobis notis, ac proinde nobis ignotum. Principio si id esset, ageret in corporum super

perficiem, non etiam in internam substantiam. Hoc vero si esset, corpora mole aequalia aequali vi, & velocitate propellerentur: quare essent aeque gravia. Ita aequales moles auri, & suberis aeque gravitarent. Quod quum non sit, ne illud quidem esse potest.

Deinde fluidum illud & ipsum centripetum esset: per se ipsum vero, an ab alio fluido actum? posterius qui dicit, nullum hujusmodi fluidis multiplicandis finem faciet. Quod si primum verum est, quid causae est, cur non caetera quoque elementa ipsa per se esse centripeta dicamus?

Prop. CXXXIII. Quod elementa materiae non unum omnia, sed diversa centra, atque haec potius, quam alia habeant, id vi causae incorporeae, & consilio operantis, fit. Nam haec elementa non à centris attracta (prop. 130.) nec mechanice impulsa (prop. 132.) sed ipsa per se centripeta sunt. Quum autem infinita sint in immenso mundano spatio puncta, in quae centripeta esse potuerint, aut in unum omnia, aut in alia diversa, quam in haec, quae habent; ut di-

diversa haberent, atque haec potius, quam alia, id esse debuit à causa, quae sit extra omnia corpora. Porrò quum ea centra ita disposita sint, ut artem, & rationem manifesto prae se ferant; ea causa non solum extra omnia corpora est, sed arte, ac consilio agit, id est incorporea est, & intelligens.

Corol. Mundus factus est, atque arte & consilio Mentis intelligentissimae, viresque centripetae, ut centrifugae, sunt vires ab eadem causa elementis omnibus insitae, quaeque agunt intrinsecus corpora, quibus indita sunt, pellendo, non extrinsece attrahendo. Constat ex prop. super.

Prop CXXXIV. Non omnis materia mundana est actu centripeta. Nam lumen, & ignis è Sole, & Fixis quaquaversum, velut è centro sphaerae, in ambitum effunduntur; ergo actu centrifuga sunt. Tum subtilissimus aether, qualis est in vacuo Boyleano, nulla nec gravitate, nec levitate praeditus est: id quod demonstrari potest ex eo, quod in eo vacuo corpora cujuscumque generis, & figurae aeque velociter descendant,

dant, id quod esse nequiret, si tenuia illa fluida gravitatem ullam haberent; quum constet ex canonibus mechanicis, corpora, quae in fluido eodem descendunt, descendere magis, aut minus velociter in ratione gravitatis specificae.

Prop. CXXXV. Primigeniae corporum substantiae non sunt aeternae. Nam sunt varie modificabiles: ergo non habent necessitatem essentiae; nec proinde existentiae.

Corol. Cum hae substantiae sint prima mundi materies: consequitur primam mundi materiem non esse aeternam.

CAPUT XI.

De Tempore, & Motu.

Prop. CXXXVI. DUratio non est ens distinctum à re durante. Nam duratio est continuata entis existentia (ex definit. 78); ergo quemadmodum existentia non est ens distinctum ab ipso ente, quod existit, ita ne continuata quidem existentia, seu duratio.

Prop.

Prop. CXXXVII. Ex quo sequitur Ens aeternum, quod perpetuo existit, perpetuo durare, ac propterea in sempiternitate esse successionem metaphysicam, seu durationem, licet nulla sit in ea successio physica, seu successio statuum diversorum, quod ens aeternum totum simul sit, & immutabile.

Prop CXXXVIII. Motus de loco in locum, atque propterea vis motrix, actio, & vis sunt reales, & *positivae*: nempe iis demptis aliquid reali corpori demitur. Id est per se perspicuum.

Prop. CXXXIX. Quies igitur localis non est quid per se *positivum*. Est enim motus privatio; ergo privatio positivi (per ant. nec propterea positivum. Igitur sunt sophisticae argumentationis eae, quibus quidam Philosophi quietem rem positivam demonstrare student, & motum privationem positivi: scilicet philosophantur extra ideas humanas, quod non licet (ex post. 1.)

Prop. CXL. Motus localis est qualitas, & proprietas positiva essentiae materiae superaddita. Nam corpora tam sunt corpora, quum moventur, quam quum

quies-

quiescunt, modo extensa sint, & solida; motus ergo localis est proprietas essentiae materiae superaddita.

Prop. CXLI. Primus ergo status materiae est quies: nam ad ejus essentiam non est necessarium, ut de loco in locum moveatur (per prop. ant.)

Prop. CXLII. Nullum corpus se ipsum movere potest. Motus, & vis motrix sunt quid positivum (prop. 138.); nullum autem ens sibi quid positivi dare ipsum per se potest (prop. 7. & 11.); igitur nullum corpus se ipsum movere potest.

Prop. CXLIII. Omne corpus resistit causae moventi. Id patet ex vi, quam causa movens experitur, dum corpus quodcumque impellere, aut trahere conatur. Haec vis inertia dici solet.

Prop. CXLIV. Corpus in motu positum resistit vi motrici. Motus est quid positivum naturae corporeae adveniens (prop. 140.), nec primus materiae status (prop. 141.) ergo a vi aliqua externa ei inditus. Haec vis est causa corpus movens, cui omne corpus resistit (prop. ant.); ergo omne corpus mo-

tum-

tum suapte natura resistit vi motrici.

Prop. CXLV. Omne corpus perseverat in aeternum in statu quietis, nisi à causa externa impellatur. Corporis primitivus status est quies; motus accedens (prop. 141.): unde vero nisi extrinsecus? Nisi ergo accedat extrinsecus; corpus aeternum in statu primitivo perdurat.

Prop. CXLVI. Nullum corpus perseverare aeternum potest in statu sui motus, etiamsi à causis externis non retardetur. Nam quodlibet corpus per se ipsum suapte natura vi motrici resistit; id efficit quominus vis motrix integrum suum effectum obtinere possit. Quum autem continenter resistat, continenter quoque eam vim debilitat; quae idcirco, nisi sit infinita, tandem, aliquando extinguatur necesse est.

Sch. Haec propositio opposita est non solum Philosophorum turbae, sed etiam praeclarissimorum Philosophorum dogmatibus. Interim ea sequitur ex natura corporea, id quod praeclare animadvertunt Encyclopediae Gallicae Auctores. Atque hinc quoque sequitur, vires mundanas,

qui-

quibus universum conservatur, indigere causae extra omnia corpora positae, qua perpetuo recreentur, etiamsi in puro vacuo moveantur. Moveri autem in vacuo puro nullo modo possunt, id Newtono ipso fatente: nam lumen & ignis Fixarum totum mundanum spatium implere videntur; & vapores, atque exhalationes Planetarum, & Cometarum majus quoque obstaculum afferre. Itaque fit, ut omnibus omnino modis eas vires infringi, & debilitari necesse fit. Conservantur tamen: quod quum nec haec corpora ipsa per se efficere possint, nec ulla alia; perspicuum est à causa fieri, quae sit extra omnia corpora.

Prop. CXLVII. Corpora moveri possunt infinitis modis, sive ordinatis, sive perturbatis. Nam quum non ipsa sese moveant (prop. 142.), sed a causa externa (prop. 140.) ipsa per se indifferentia sunt ad omnem motus directionem, omnemque intensitatem, & velocitatem motûs.

Prop. CXLVIII. Primitivae leges motuum corporum mundi non ex natura corporea originem habent, sed ex finibus.

bus. Nam leges primitivae sunt, quae ita motus directionem, intensitatem, velocitatem figunt, ut ita perpetuo eant, quaeque ab aliis non pendent; quum autem corpora sint suapte natura indifferentia ad omnem directionem, intensitatem, velocitatem motus (prop. ant.) eae regulae a natura corporea proficisci nequeunt, sed totae sunt a causa movente. Neque vero alia ratio causam moventem impellere potest ad eas leges constituendas, quam alias, nisi finis, & ordo.

Sch. Hoc ipsum probari posset a posteriori, demonstraturque ab iis, qui fines rerum corporearum perscrutati sunt. Vide Derham, & Niewentitium.

Prop. CXLIX. Leges corporum physicae demonstrant hanc rerum universitatem esse arte, & consilio factam. Nam eae demonstrant corpora esse ob fines suos sic potius quam alio modo, mota, ac disposita (prop. ant.); Quodcumque autem ob finem aliquem fit, quem constanter assequitur, arte, & consilio fit.

Prop. CL. Motus accelerari potest in infinitum. Detur spatium infinitum, &

in eo corpus motum, quod aequabiliter semper acceleretur: ita intelligetur motum posse in infinitum accelerari.

Prop. CLI. Motus, quantumvis acceleratus, fieri nequit in instante indivisibili. D. Motus, quantumvis acceleratus, debet esse actio, qua mobile de loco in locum transfertur (ex definit. 82.), adeoque actio successiva. Actio autem successiva est continuata existentia, & haec duratio: ergo quilibet motus, quantumvis acceleratus, durat, nec propterea fit in instante indivisibili.

Sch. Ex quo consequitur paradoxum incredibile, rem motu infinite veloci actam non pertransire lineam infinite parvam, nisi tempore in infinitum divisibili.

CAPUT XII.

De rerum perfectione, Bonitate, & Veritate.

Prop. CLII. NUllius rei Entitas plene à nobis cognosci, & absolute dimetiri po-

potest. Nam nulla res est, cujus nos ideam habeamus adaequatam.

Prop. CLIII. Ita comparati à natura sumus, ut eas res dicamus infinitas, quibus alias majores percipere non possumus.

Prop. CLIV. Minorem entitatem comparatam ad majorem imperfectam dicere solemus. Scilicet nobis infinitum est id, quo majus excogitare non possumus.

Prop. CLV. Ex notione imperfectionis, id est minoris entitatis, demonstrari non potest, nos habere notionem perfectionis absolute infinitae, sed relative tantum (per prop. antecedentem.)

Prop. CLVI. Naturales substantiarum contingentium perfectiones, seu proprietates substantiales naturae, in nihilum redigi non possunt. D. Ita enim substantiae ipsae in nihilum suapte natura abire possent; id, quod fieri nequit (per prop. 37.)

Prop. CLVII. Infinite perfectum est infinite bonum absolute. D. Nam bonitas absoluta, seu entitas, & perfectio reciprocantur (per defin. 88.)

Prop. CLVIII. Ens absolute, & infi-

finite bonum est in se beatissimum. D. Quia habet in se totum id, quod ad plenam beatitudinem necessarium est, seu est ens sibi ad beatitudinem sufficientissimum.

Prop. CLIX. Ens, quod est absolute infinitum, & bonum, est & summum bonum relativum. D. Nam hoc ens est ens aeternum, in quo est ratio sufficiens perfectionis, ac propterea bonitatis omnium contingentium (per prop. 14.), quod idcirco vult, ut contingentia perfecta sint, & bona.

Prop. CLX. Omne ens metaphysice verum est. D. Nam omne ens essentiae suae archetipae aeternae congruit: cum autem ea sit veritas metaphysica (ex definit. 87.), omne ens metaphysice verum est; seu est id quod esse debet. Sceptici, qui veritatis comprehensionem negabant, non hanc negabant veritatem metaphysicam. Vid. Sext. Emp.

Prop. CLXI. Quod ita est, ut impossibile intrinsecum sit aliter esse, necessario, & immutabiliter id est, quod est. D. Nam nisi necessario, & immutabiliter

est

est id, quod est, potest aliter esse, contra hypothesim.

Prop. CLXII. Omnis propositio, cujus oppositum est intrinsecus impossibile, est necessario, & immutabiliter vera. Nam ea propositio ita est id, quod est, ut impossibile intrinsecum sit aliter esse: quae autem sunt talia, necessario, & immutabiliter sunt id, quod sunt (prop. ant.) &, quae necessario, & immutabiliter sunt id, quod sunt, sunt necessario, & immutabiliter vera; omnis ergo propositio &c.

Sch. Hujusmodi sunt hae propositiones. *Non potest idem simul esse, & non esse: Totum est majus sua parte: Quae eidem sunt aequalia, & inter se sunt aequalia, &c.*

Prop. CLXIII. Quum propositiones abstractae ejus generis, de quo in superiori propositione dictum est, clare a nobis cognoscantur, non solum naturaliter, sed etiam logice sunt verae. Earum propositionum ideae sunt abstractae (ex hypothesi); ergo ipsae sui ipsarum sunt objecta. Quum autem sint sibi consentaneae, sequitur esse objectis suis consen-

taneas. Id autem est esse logice veras : ergo sunt logicae verae. Porrò quum necessario, & immutabiliter sint id, quod sunt, (ex prop. ant.) etiam logice necessario, & immutabiliter sunt verae.

Sch. Sceptici ergo negare non possunt nec veritates naturales, nec veritates logicas abstractas. Igitur Disciplinae Mathematicae purae, & Ontologicae verae Scientiae sunt.

Prop. CLXIV. Quae cum natura, & constantia ordinum, & legum mechanicarum mundi pugnant, ea naturaliter effici non possunt. D. Nam ea naturaliter fieri dicimus, quae ex natura rerum hujus mundi, & secundum rerum naturalium mechanicas leges fiunt : ergo quae contra eam naturam, & eas leges fiunt, ea non fiunt naturaliter.

Prop. CLXV. Omnis propositio, cujus oppositum pugnat cum natura, & legibus mechanicis mundi, tam necessario est id, quod est, quam necessario res mundi, earumque ordo, & leges sunt id, quod sunt. Nam ea propositio est secundum naturam, & leges rerum hujus universi; ergo quamdiu res universi erunt

id,

id, quod sunt, & quo modo sunt id, quod sunt, tandiu, & eodem modo propositio illa erit id, quod est.

Prop. CLXVI. Quae propositiones generis superioris a nobis clare cognoscuntur, & continuis experimentis confirmantur, non solum physice, sed logice sunt verae. Nam quae propositiones sunt tales, eae secundum ordinem mundanum sunt (ex prop. ant.); quae vero secundum ordinem mundanum sunt; physicè sunt verae. Deinde cum clare cognoscantur, & continuis experimentis confirmentur, non possunt a nobis esse confictae, sed a mundo ipso in nobis impressae: nam propositiones phantasticae, & chimericae constantiam habere non possunt, sunt ergo logice quoque verae.

Prop. CLVVII. Immutabilitas, & evidentia propositionis, quae constantissime semper eadem est, a nobis non proficiscitur, sed a causa immutabili, id est, ab objecto immutabili. Nam quae commenta sunt nostra, ea voluntatis nostrae, aut phantasiae inconstantiae subjecta sunt: quaecumque igitur ejus inconstantiae expertia sunt, a nobis non proficiscuntur.

Prop. CLXVIII. Eae propositiones, quarum immutabilitas, & claritas a nobis non proficiscitur, certae nobis esse debent. Nam eae non sunt tales, nisi quia immutabilia objecta (ex prop. ant.): quae vero sunt hujusmodi, sunt immutabiliter vera, debent esse certa; ergo hae propositiones certae nobis esse debent.

Prop. CLXIX. Ea propositio, cujus oppositum est intrinsecus impossibile, habet certitudinem mathematicam. Nam ea propositio necessario, & immutabiliter est id, quod est (per prop. 163.)

Prop. CLXX. Ea propositio, cujus opposita est impossibile physicum, seu cum universi ordine pugnans, habet certitudinem physicam. Nam ea tam immutabiliter est id, quod est, quam universum (prop. 164.)

Prop. CLXXI. Non solent homines plures rem unam, eandemque, velut oculati testes, testari, nisi quum id vere oculis suis conspexere, praesertim quum, ut testentur, nulla vi constat esse subagitatos.

Prop. CLXXII. Quum ex iis factis, quae plures occulati teste testata faciunt, ef-

effecta realia, & publica sequuta sunt, quorum vestigia aut etiam diu supersunt, aut diu publica fuere, tam licet de iis factis dubitare, quam de rerum naturalium existentia.

Prop. CLXXIII. Quae historia narratur a pluribus testibus occulatis eundem in modum habet certitudinem moralem. Nam ea tam constanter est id, quod est, quam homines sunt id, quod sunt; homines autem non solent hunc in modum testari, nisi facto ipso percussi.

Prop. CLXXIV. Infinitas propositiones habemus eorum generum, de quibus superius dictum est. Appello ad Scientias Mathematicas, & Physicas, ad Historiam, & ad totam vitam socialem.

Prop. CLXXV. Scepticismus, aut ludricum est, aut insania. D. Sceptici sunt, qui negant quidquam a nobis sciri, & comprehendi posse cum certitudine. Cum autem plura cognoscamus cum certitudine mathematica, physica, morali (ex superioribus propositionibus); sequitur scepticismum esse aut ludicrum, aut insaniam.

ELEMENTORUM METAPHYSICAE,

PARS ALTERA

Qua continentur principia Psychesophiae.

Postquam de generalibus Ontologiae, & Cosmologiae principiis in priori parte disseruimus, superest, quo integra Metaphysicae elementa habeamus, ut de Spiritibus pertractemus, quae tractatio *Pneumatologia* Philosophis appellatur. Sunt autem spiritus Animae humanae, Angeli, Deus. In hac parte de Mente humanâ disputabimus, mox in tertia parte de Deo dicturi. Tractatio de animabus humanis appellari solet graeco vocabulo *Psichelogia*, id est sciencia de anima. Est vero haec tractatio in primis Philosopho necessaria: nihil enim noscere nostra magis interest, quam nos ipsos. Hujus scientiae methodus erit eadem,

dem, qua in superiori parte usi sumus.

DEFINITIONES.

Def. I. *Mentem* voco rem intelligentem, principium cogitationum activum, & substantiam intelligentem. Cum nos cogitamus, necesse est, ut sit in nobis principium aliquod, & subjectum cogitans (per prop. 91. primae partis) id *mentem* dico. Illud hoc in loco pervestigandum est, cujus naturae sit principium hoc, & substantia intelligens: quae ejus proprietates: quae vis in corpus: quaeque ex ejus cum corpore unione sequantur.

Def. II. *Intellectus* est ea mentis facultas, qua percipit, judicat, ratiocinatur, &c. Vocari quoque solet aliquando ratio, seu calculus, praesertim cum judicamus, & ratiocinamus. Enimvero intellectus est facultas calculatrix.

Def. III. *Perceptio* Philosophis est unius ideae contemplatio, quin eam cum ulla alia comparemus.

Def. IV. *Judicium* vero est plurium idearum, earumque relationum clara, atque evidens perceptio, seu calculus.

Def. V. *Ratiocinatio* est plurium judiciorum inter se concatenatorum calculus, institutus ad id clare intelligendum, quod intuitione non perspicitur.

Def. VI. *Idea* est forma quaedam rei cujusvis, aut existentis, aut possibilis.

Schol. Ex. g. definitio Quadrati, *figura quadrilatera, rectangula, & aequilatera*, est ejus rei *perceptio, idea, & notio*: definitio Trianguli est ejus *perceptio, & idea.* Quum autem ad calculum adduco Quadratum, & Triangulum, aut duo Quadrata, atque percipio clare, Quadratum rem esse diversam a Triangulo, aut duo Quadrata esse aequalia, vel inaequalia, ea mentis operatio *judicium* dicetur. At si considero Quadratum, & Triangulum aeque alta, & eandem basim habentia, reperio Quadratum esse duplum Trianguli: sed id sine calculo quodam plurium judiciorum non detego: ea intellectûs nostri actio dicitur *ratiocinatio*: cujus si & principia,

&

& progresso, & complexio fuerint clàra & evidentia, erit *demonstratio.*

Def. VII. *Memoriam* vocamus, facultatem ea iterum percipiendi, quae alias sunt a nobis percepta.

Def. VIII. *Reminiscentia* est actio ipsa, qua rem alias perceptam, iterum percipimus, cum sensu tamen; seu conscientiâ fuisse aliàs perceptam.

Def. IX. Vocamus *facultatem sentiendi* eam, qua motus in organis sensoriis, aut ab externis objectis, aut a causis in ipso corpore nostro existentibus excitatos percipere possumus. Ea est primus perceptionis gradus: homines enim primum sentiunt, mox imaginantur, hinc ratiocinantur, postremo sapiunt.

Def. X. Facultas *imaginandi* dicitur ea, qua ideas corporeas absentium corporum nobis repraesentamus, varieque copulamus, augemus, minuimus, & qua res ipsas incorporeas sub corporeis imaginibus nobis depingimus. Ea sensum sequitur, & quodammodo provehit: est enim latior sensus.

Def. XI. *Vita* posita est in actione aliqua perenni, quae ex principio activo

rei,

rei, quae vivit, intrinseco manat, quaeque cui sui sensu conjuncta est, si rationalis sit: sine sensu vero sui est, si minime sit rationalis.

Def. XII. *Appetitus* seu *desiderium* est propensio animi erga bonum perceptum seu vis naturae explicatur adversus bonum perceptum, quod nobis deesse sentimus: aversio vero est cum animus refugit a malo percepto, seu reactio adversus malum perceptum.

Def. XIII. *Irascibilis* est excita in nobis vis, qua nos audentiores evadimus ad ea obstacula superanda, quae appetitui, aut aversioni opponuntur. Qui eâ destituuntur pusillanimi, & timidi dici solent.

Def. XIV. *Instinctus* est ea naturae animalis vis, qua in objecta sibi consentanea fertur, non ullâ animi ratione, sed ipsâ naturae constitutione.

Sch. *Irascibilis* est vis, quae nunquam ipsa per se excitatur, sed actione obstaculi: *instinctus* verò actione naturae.

Def. XV. *Libertas* est illa mentis facultas, qua possumus quidpiam eligere,

re, aut fugere, prout nobis ex ratione boni, vel mali propria libitum fuerit. Solet distingui libertas in *libertatem à coactione*, *&* *libertatem à necessitate naturae*. Illa dicitur, quae est immunis ab externo Fato: haec vero, quae est immunis ab interna, & mechanica naturae nostrae necessitate.

Def. XVI. *Voluntas* est ultima mentis determinatio, qua nos ad bonum repraesentatum amplectendum, aut malum repraesentatum fugiendum, libere determinamus. Haec destinguenda est ab appetitu: nam voluntas sui juris est, non vero appetitus.

Def. XVII. *Sensus moralis* est ingenitus naturae nostrae sensus, quò sine ullo ratiocinio honestum a turpi naturaliter discernimus. Dici quoque solet *sintheresis*. *&* *consciencia moralis*. Hunc sensum boni, & mali moralis regulam quidam Philosophi constituunt, ut gustum regulam. & judicem dulcis, aut acris saporis. Quà de re loco suo.

Def. XVIII. *Habitus* sunt facilitates hominis, quibus actus aliquos expeditiùs edere possumus, acquisitae continuatione actuum. Def.

Def. XIX. *Affectus* voco eas naturae humanae commotiones, quae ex perceptione boni, vel mali nascuntur, quales sunt amor, metus, ira, similes.

Def. XX. Sunt affectus alii *veri*, alii *falsi*. Illi sunt, quorum objecta sunt realia, nec majora, aut minora affectibus. Hi vero, quorum aut objecta nulla sunt, nisi imaginatione, aut iis affectibus majora, vel minora.

Def. XXI. Affectus alii sunt *rationales* alii *mechanici*: item alii *privati*, alii *sociales*. Rationales a ratione progignuntur, veluti voluptas contemplationis, amor justitiae, virtutis, &c. Mechanici ab objectis corporeis, veluti amor venereus, ira, metus mali impendentis, &c. Sed sunt quidam mixti, alii quidem in quibus ratio, & vis objecti mechanica ex aequo dominantur; alii in quibus magis ratio, alii tandem in quibus magis vis mechanica. Privati sunt, qui extra nos non tendunt, velut amor proprius, ambitio, avaritia, &c. Sociales quorum objecta sunt alii homines, velut amicitia, misericordia, &c.

Def. XXII. *Beatitudo* perfecta est status frui-

fruitionis sine ulla tristitia, dolore, metu, seu status perfectae, & aequabilis voluptatis. Beatitudo naturalis in hominibus est cum summa voluptatum longe excedit summam dolorum totius vitae.

Def. XXIII. *Virtus* est habitus facultates hominis rationales perficiens, atque ad beatitudinem ducens. *Vitium* vero habitus facultates illas deteriores efficiens, & impediores ad beatitudinem.

PROPOSITIONES.

CAPUT I.

De natura mentis humanae.

Prop. I. SI mens, aut corpus est, aut corporis proprietas, qualitas, affectio, non vero substantia a corpore distincta, & idearum repraesentatio, & perceptio, tum judicium, & ratiocionatio, aliique cogitandi modi non aliter in nobis procreari possunt, quàm motionibus partium corporis, nimirum actione, & reactione fibrarum, & nervorum cerebri, san-

sanguinis, aut cujuscumque alterius fluidi. Scilicet nullam aliam actionem in corpore cognoscimus; nec reprehendendi sumus, si ex iis ideis philosophemur, quas omnes homines habent.

Prop. II. Nec judicium esse ullum in nobis potest, nec ratiocinium, nisi plures eodem tempore menti obversentur ideae, id est, eae omnes, quae judicio, aut ratiocinio comprehenduntur. D. Nam nisi simul obversentur, conferri nullo modo possunt: nec, si non conferantur, judicare, aut ratiocinari possumus.

Corollarium. Et quidem omnes hujusmodi ideae coexistere debent toto illo temporis spatio, in quo judicium, aut ratiocinium vividum perdurat.

Prop. III. Si perceptiones sunt motiones cerebri, oportet, ut tot excitentur in cerebro distinctae motiones, quod diversae, & distinctae ideae nobis obversantur. D. Nempe in ea hypothesi ratio sufficiens repraesentationis cujuslibet objecti, ac propterea cujuslibet ideae, est, in motione cerebri: ergo nequit una, eademque motio plura, & diversa

obje-

objecta referre, nec propterea unâ motione plures comprehendi ideae.

Corol. Et quidem motiones hujusmodi tamdiu durare in cerebro debent, quamdiu ei vivide ideae observantur.

Prop. IV. Motiones corporeae nequeunt in indivisibili extensi parte fieri, neque idcirco in ea parte gigni ideae Hobesianae. D. Nam ideae Hobesianae sunt motiones cerebri: cum autem motus sit actio, qua ens de loco in locum transfertur, fieri nequit in indivisibili extensi parte, nec propterea in divisibili extensi parte ideae Hobesianae progigni.

Prop. V. Conscientia perceptionis, judicii, & ratiocinii, est perceptio perceptionis, judicii, & ratiocinii, ut patet: ergo si perceptiones, judicia, ratiocinia non solunt, nisi motiones cerebri, eorum conscientia esse debet motio ab iis distincta.

Prop. VI. Collatio, seu calculus idearum, qua judicia, & ratiocinia existunt, est actio ab ideis, quae conferuntur, diversa. D. Nam ideae sunt actiones, quae objecta repraesentant: collatio vero idearum est actio, qua ideae conferuntur.

Piop.

Prop. VII. Conscientia perceptionum, & judiciorum nequit esse motus corporeus. D. Nam si est, est actio individua: cum autem individua sint talia, ut nullum eorum contineat alterum, sed se ipsum tantum; sequitur nullum eorum alterum repraesentare posse. Quare si conscientia est motio, & individua, non potest repraesentare, nisi se ipsam, non vero etiam alias perceptiones, & judicia, nec proinde consciencia est. Conscientia ergo perceptionum, & judiciorum non est motus corporeus.

Porp. VIII. Judicium & ratiocinium nequeunt esse motus corporei. D. Judicium est plurium idearum, earumque relationum perceptio: ratiocinium vero perceptio relationum plurium judiciorum (ex def. 4. & 5.), eaque perceptio est actio distincta ab ideis, quae conferuntur (ex prop. 6.). Si sunt motus corporei, sunt actiones individuae, quae non possunt referre nisi seipsas: hoc modo nec judicia sunt, nec ratiocinia. Judicia ergo, & ratiocinia nequeunt esse motus corporei.

Prop. IX. Mens humana nequit esse tem-

temperatio naturae corporeae, qua vigeamus, & sentiamus, quaeque sit a corpore inseparabilis, quae fuit opinio Dicaearchi, & ejus magistri Aristotelis. D. Si enim ita sit, actiones mentis, perceptiones, judicia, ratiocinia, conscientia, erunt motus corporei (ex prop 1.), quod nullo modo esse potest (ex prop. 7. & 8.)

Prop. X. Mobilitas singularum partium conjuncta cum divisibilitate in infinitum, soliditas, & inertia sunt corporis proprietates essentiales. Est inter explorata, constatque inter Physicos.

Prop. XI. Judicium, & ratiocinium pugnant cum superioribus corporis proprietatibus. D. Nam judicium & ratiocinium sunt actiones, qua plures ideae conferuntur (ex definit. 4. & 5.); nec vero conferri possunt plures ideae, nisi eodem tempore eidem indivisibili percipienti coexistant (ex prop. 2.): si autem sunt motus corporei, necesse est, ut eodem tempore plures motus repraesentantes plures ideas, ac proinde ut plures, partes, quae moventur, eidem indivisibili coexistant quod destruit soliditatem corporis.

 Tum

Tum vero perceptio, & comparatio plurium idearum non potest fieri, nisi in eodem indivisibili, in quo id ac illae coexistunt: si cogitatio, & ratiocinatio, sunt motus corporei, divisibilitate partium dilabentur, & defluent: cogitatio ergo pugnat cum divisibilitate corporis.

Tandem inest in nobis vis quaedam, qua motus in corpore nostro & excitare possumus; & excitatos cohibere: ea vis cum cogitatione conjuncta est, & ab ea pendet. Si cogitatio est motus corporeus, inest in corpore, vis, quae inertiam destruit, cogitatio ergo pugnat cum tribus illis corporis essentialibus proprietatibus.

Prop. XII. Mens humana est substantia incorporea. D. Primum, cum cogitationes sint actiones qualescumque, esse debet earum vis aliqua, seu potentia productrix (ex prop. 92. primae partis), ac propterea ejus potentiae subjectum, seu substantia aliqua (ibidem prop. 93.) Jam si id subjectum corpus est; cogitationes omnes erunt motus corporei (ex prop. 1.); quod cum esse nequeat (ex prop. 8); cogitationes pertinere non pos-

sunt ad subjectum corporeum. Substantia ergo cogitans corpus non est.

Secundo, si mens humana non est incorporea, erit aut habitus, & temperatio corporis, aut ejus attributum aliquod substantiale. Primum esse nequit (ex p. 9.); nec secundum, quia mentis actiones pugnant cum praecipuis corporum proprietatibus essentialibus (ex p. 11.;) nec potest idem constare ex iis, quae se mutuo destruunt (per prop. 2. primae partis;) substantia ergo cogitans incorporea est.

Corol. Attributa essentialia mentis omnino sunt diversa ab essentialibus corporis attributis: nam substantiae diversae iisdem attributis constare nequeunt.

Prop. XIII. Mens humana, quoad vivit, perenni perceptione praedita sit, necesse est. Nam mens humana est substantia a corpore diversa, ejusque attributa essentialia diversa ab attributis essentialibus corporis (per prop. 12.); ergo & vita mentis diversa esse debet ab ea, quae corpori vulgo tribuitur. Jam posita est vita in perenni actione manante ex vi rei viventi insita (ex def. 11.), & nul-

la alia perennis actio in mente esse potes, qua vivat, nisi perceptio; mens ergo perenni percepitione, quoad vivit, praedita est.

Sch. Sed quaeretur hîc, quibus de rebus, cum primum mens corpori unitur, cogitat. Fieri potest, ut prima objecta suarum perceptionum sint motus illi, qui in corpusculo, cui conjuncta est, fiunt. Sed quando etiam id a nobis ignorari dicamus, id satis non est, ut hanc menti proprietatem denegemus, quae ex ejus natura consequitur (ex post 3.)

Reponunt, fieri posse, ut vis illa perennis, qua mens vivit sit ea, qua corpus permeat, ac vivificat. Respondeo primum, quid faciemus menti a corpore separatae? Vivam ne dicemus? Neque vero id temporis ea activitate vivet. Tum non videtur naturae mentis consentaneum, ut extra se potius, quam in se vivat: nam haec vis, quae dicitur, actionem suam non potest exersere nisi in corpore; quum anima ob sui simplicitatem impatiens sit hujusmodi actionis.

Prop. XIV. Mens humana nec suapte naturá, nec actione corporum circumposito-

sitorum perire potest, scilicet suapte naturâ immortalis est. D. Mens humana est substantia incorporea (ex prop. 12.); est ergo simplex, ac propterea dividi, & discerpi in partes nequit. Cum autem sit essentialiter vivens, id est perenniter cogitans (ex prop. 13.) sequitur esse essentialiter immortalem.

Sch. Hoc theorema consensu omnium gentium mirifice confirmatur: nam nulla ferme natio est, in qua stabilis non sit persuasio & alterius vitae, & inferorum. Praeclare Seneca: *Cum de animorum* (inquit) *aeternitate disseritur, non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium inferos, aut colentium.* Macrobius vetustae sapientiae diligens investigator in Somnium Scipionis *lib.* 1. *cap.* 14. confidenter pronunciat: *Obtinuisse jam non minus de incorporalitate, quàm de immortalitate animae sententiam.*

Prop. XV. Dogmata incorporalitatis, & immortalitatis animorum sunt etiam Dogmata Christianae religionis. D. Nam Dogmata Christianae religionis sunt ea, quae a Deo revelata sunt, quaeque Di-

vinis

vinis Scripturis, & Apostolorum traditionibus continentur; Divinis autem Scripturis, & Apostolorum traditionibus bina illa Dogmata continentur: nam & a tota Christiana Ecclesia semper traditum est, animos post corporum dissolutionem remanere immortales: & disertis verbis id docet Christus Dominus noster Matthaei 10. versu 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus: animam autem occidere non possunt: sed timere eum, qui postquam occiderit corpus, potestatem habet mittendi animam in gehennam ignis.* Dogmata ergo incorporalitatis, & immortalitatis animorum sunt dogmata Christianae religionis.

Prop. XVI. Cogitationes sunt actiones immanentes, non transeuntes. Nam cogitationes pertinent ad vitam mentis (ex prop. 15), vita autem posita est in actione perenni ex principio rei viventi insito manante (ex definit. 11.) insitae ergo sunt menti, adeoque essentiales. Quae vero insita sunt enti, & essentialia, nequeunt esse transeuntia, cogitationes ergo sunt actiones immanentes.

Prop. XVII. Mens humana non est una,

una, eademque numero in omnibus hominibus, quae fuit quorundam Arabum Philosophorum opinio. D. Mens humana est substantia incorporea (ex prop. 12.) cui cogitationes immanantes sunt, & essentiales (ex prop. 16.); adeoque conscientia cogitationum: ergo si esset una, eademque in omnibus hominibus, ejus vis intellectiva una & ipsa, eademque esset in omnibus, adeoque eaedem in omnibus cogitationes, eademque conscientia: quod cum sit falsum; sequitur non esse unam in omnibus

Prop XVIII. Mens humana sempiterna non est. D. Nam si esset, naturâ suâ, & necessariò existeret, adeoque esset naturâ suâ, & necessariò totum id, quod esse potest, (ex prima parte), quod cum non sit, nam ea continuae statuum mutationi subsit: sequitur eam non esse sempiternam, sed creatam.

Prop. XIX. Mens humana neque Deus est, ut censuit Pythagoras, neque Dei pars, ut Spinosistae, neque emanatio Dei, ut Fanatici. Demostratur prima pars. Mens humana sempiterna non est (ex prop. 18.): non igitur est Deus, qui

qui sempiternus est. Demonstratur secunda pars. Mens humana existentiam habet contingentem (ex prop. 28.) quae autem sunt talia, neque partes esse possunt, neque atributa, neque affectiones substantiae aeternae (ex prop. 21. primae partis); mens ergo humana nequit esse Dei pars. D. Tertia pars. Mens humana est substantia (ex prop. 12.), nec sempiterna (ex prop. 18) : ergo est substantia facta. Nulla autem substantia facta per emanationem essentialem a Deo prodire potes (ex demonstratis in prima parte) ; Mens ergo humana non est Dei emanatio.

CAPUT II.

De unione Mentis, & Corporis.

Prop. XX. MEntem uniri corpori humano, quoad vivimus, in perspicuis positum est: unionem enim mentis, & corporis eam dicimus, qua operationes mentis, & motus corporis harmonice sibi consentiunt, ut aliae alios, aut prae-

cedant,

cedant, aut sequantur, aut comitentur. Est autem exploratum cogitationes mentis, quoad vivimus, aut praecedere, aut sequi, aut comitari motiones corporis; perspicuum ergo est mentem corpori uniri, quoad vivimus. Quibus autem legibus mens unitur corpori diximus in Elementis secundae part. pag 98. secundae editionis. Ea ad sequentes referri possunt.

Prima est, ut quousque mens unitur corpori habeat ideam extensionis corporeae occasione notionum ab externis corporibus in sensibus nostris excitatarum. Hinc fit, ut omnes mentis perceptiones cum phantasmatibus corporeis conjunctae sint, nec possibilis sit in anima conjunctâ corpori pura intellectio, id est, hujusmodi perceptio, quam nullus motus phantasticus comitetur. II. Ut omnis motio cerebri excitet similem in animo sensationem, quae tamdiu duret, quamdiu haec cerebri motio. III. Ut quousque anima corpori conjuncta est, habeat notionem alicujus corporis peculiaris in sensus agentis. IV. Ut anima, excitatâ motione in cerebro ab aliquo peculiari objecto externo, statim convertatur ad id objectum;

&

& eam motionem referat ad objectum suum cum circumstantiis temporis, & loci. V. Ut si iterum excitetur motio aliqua in cerebro, quae aliàs fuerit ab objecto externo facta, nascatur in anima ejusdem objecti reminiscentia. VI. Ut excitata motione qualibet in corpore, qua corporis harmonia conservatur, aut destruitur, nascatur in anima voluptas, vel dolor. VII. Ut quae ideae cum voluptate conjunctae sunt determinent animam ad objecta harum idearum persequenda. quae cum dolore, ad fugienda. VIII. Ut omnes ideae animae seu notiones, quae pertinent, aut ad corpus nostrum, aut ad animum, aut ad bona utriusque, vel mala, conjunctae sint cum motionibus excitatis in cerebro. Hinc fit, ut ad notionem rei terribilis contremiscat corpus, ad notionem vero rei amabilis oculi, & vultus rideant. IX. Ut quamdiu anima cum corpore unita est, nullâ de re cogitare possit, nisi ex occasione alicujus motionis in cerebro, vel sensibus excitatae. X. Ut perceptiones animi sint magis, aut minùs expeditae, clarae, vel obscurae, &c. prout magis, vel minus expe-

expediti fuerint motus cerebri, & sensuum.

Opiniones Philosophorum super unione Mentis, & Corporis.

QUa autem ratione unio mentis, & corporis conservetur, id hucusque in abditis est. Ea tribus modis conservari potest; nam aut mens in corpus, corpus in mentem influit; aut Deus utramque substantiam immediate, & harmonice modificat, quin altera influat in alteram; aut ita animum, & corpus creavit, ut utraque substantia vi sua insita continuata serie actiones suas peragat, altera tamen cum altera harmonice, quin altera in alteram influat. Quomodo duo horologia motiones suas harmonice continuare possunt, aut reciproco alterius in alterum influxu: aut extrinsecus ab artifice harmonice mota; aut tandem si ita fabrefacta sint, ut alterius motiones cum motionibus alterius perpetuò consentiant. Primum systema dicitur *influxùs physici*, idque Peripatetici, & Platonici propugnarunt. Alterum vocatur *adsistentiae*, *&* *caussarum occasionalium*, idque defenditur a Malebranchia-

nis;

nis; tertium appellatur *harmonia praestabilita*, idque Leibnitiani, & Wolfiani tuentur.

Peripateticorum opinio perpenditur.

Prop. XXI. Scholasticorum opinio cum intima conscientia, & phaenomenis hominis consentire videtur: sed intelligi non potest; nec satis cum ea animi natura, quam superius possuimus, concordat. Principio ex intima conscientia videmur nobis habere directum imperium in corpus nostrum: quod imperium, nisi commercium sit inter mentem, & corpus adeoque influxus physicus intelligi non potest. Deinde ex intima quoque conscientia patet animum singulis motionibus corporeis ita affici, ita ex cogitationibus animi corpus, ut inter utramque substantiam commercium aliquod intercedere videatur: nam ex laetis animi cogitationibus, totus repente hilarescit vultus; ex tristibus pallescit. Singulis motionibus corporeis agitatur animus, aut affectibus, aut dolore, & voluptate.

Haec sine influxu physico fieri non posse videntur. Quare fit, ut systema Peripateticorum videatur cum intima conscientia, & hominis phaenomenis consentire: sed *videtur*, inquam.

Jam quoniam natura mentis nostrae omnino diversa est a corporis natura, fit, ut nec motus corporis in animum transire possint, nec cogitationes animi, quae sunt actiones immanentes, in corpus. Nam qui dicit mentem influere in corpus, corpus in mentem, vocabula pronunciat sine ullis notionibus. Deinde animus influere nequit in corpus, nisi sit corporis energia, seu entellechia, id est, actio quaedam perennis per totum corpus diffusa, & unam substantiam cum corpore efficiens, quod Peripatetici influxus physici auctores aperte dicunt. At id cum natura animi incorporea, quam supra posuimus, parum consentit. Quare fit, ut licet Peripateticorum opinio cum interna conscientia consentire videtur, nec intelligibilis tamen sit, nec cum natura animi consentanea.

Fieri interea potest, ut sit in anima vis quaedam activa; quae nec intellectus

sit,

sit, nec voluntas, sed proprietas ab his distincta, qua commercium corporis & animi exerceatur. Id impossibile non est. Interim id divinando tantum dico. Est in Italia, qui ob primam hujus propositionis partem me influxûs physici patronum, nec sine invidia, efficit, minime, ut ergo puto, animadvertens, quantum inter se disset *videtur* ab *est*: Qui festinanti fortassis oculo has propositiones legit.

Prop. XXII. Motiones vitae *vegetativae*, & *sensitivae*, quae est in homine, necessariae sunt, non liberae. Ex intimo cujusque sensu id constat, nam crescere, nutriri, vegetare corpus: tum motus pulmonum, cordis, sanguinis, aliorumque fluidorum in nobis fiunt, velimus, nolimus.

Prop. XXIII. Si earum motionum, quas in superiori propositione memoravimus, mens est immediatum principium, eas proveniant in corpus necessaria emanatione mentis, id est, physico & necessario influxu, necesse est. Nam cum non pendeant a voluntate (ex prop. 22.), si sunt a mente, nequeunt aliud esse, ni-

si effluxiones necessariae mentis in corpus.

Prop. XXIV. Si mens est immediatum principium earum actionum corporis, seu vitae, corporis vegetativae, & sensitivae, mens humana est aut energia Dicaearchi, aut forma substantialis Peripateticorum. Nam si id ita est, vita corporis vegetativa, & sensitiva est necessaria effluxio mentis in totum corpus (ex prop. 23.) cum autem effluxio illa nequeat esse, nisi mens ipsa per totum corpus diffusa, quum mens sit substantia simplex, nec partibilis, id si est, mens erit actus, entellechia, energia, forma substantialis corporis

Prop. XXV. Si mens non est ea corporis energia, de qua loquuti sumus, vita corporis vegetativa, & sensitiva, aut immediate a Deo est, aut a principio aliquo activo distincto a mente. Nam si mens non est energia, aut forma substantialis corporis, ea non influit in corpus; adeoque vita corporis vegetativa, & sensitiva non est a mente; ac propterea, aut a Deo est immediate, aut a principio aliquo activo a mente distincto.

Sys-

Systema Malebranchianum perpenditur.

Prop. XXVI. SYstema adsistentiae incertum est, cum intima conscientia pugnat: gravissimis argumentis oppugnatur: nec cum Theologia Christiana satis consentire *videtur.*

D. prima pars. Cum plures esse possunt dati alicujus phaenomeni causae, earum nulla pro certa habenda est, nisi cum omnes aliae aut falsae demonstratae sunt, aut impossibiles: jam nec certi sumus nullas superesse alias vias explicandae unionis mentis, & corporis, quam quae hucusque sunt a Philosophis traditae: nec, quae suo tempore ferebantur, demonstratae sunt a Melebranchio falsae, vel impossibiles; ergo incerta est hypothesis Malebranchiana.

Sed opponunt. Quum cogitationes; & motus sint verae realitates; nec ulla creatura quidquam realitatis sibi dare possit, quam non habet; efficitur omnes cogitationes, & motus hominis a Deo esse immediate. Adrogantius mihi hoc argumen-

mentum videtur: quasi scilicet Deus nequeat dare creaturis ut vim cogitandi, ita vim motricem, ex quibus actiones sui generis sequantur. Quod si Deus efficere nequit, principio ne mentes quidem creare potest, quae nihil sunt aliud, nisi substantiae activae intelligentes. Deinde videtur minus posse, quam homines; quum arte humana plurima efficiantur, quae motum a nobis excipientia per aliquod tempus conservant.

D. secunda pars. Nam ex omnium hominum conscientia constare videtur, mentem habere directum imperium in corpus, adeoque verum intercedere inter mentem, & corpus commercium: id omnia hominis phaenomena probant. Difficile autem est claram hanc omnium hominum conscientiam sine clarioribus argumentis oppugnare velle. Malebranchius autem nulla clara demonstratione revincit.

D. tertia pars. Nam cui usui erit men. humana in corpore, si nullum cum eo comercium habeat? Cui usui fabricata dicemus sensuum organa, si nihil inde mens percipit? Quid causae est, cur l o sis sensuum organis, ideis iis responde e

tibus careamus? Cur laeso cerebro omnes ferme ideae evanescunt? Cur instrumentis oculorum vis ita perficitur, ut eas nobis suppeditare possint ideas, quas alias nunquam habituiri fuissemus? dicant Malebranchiani.

D. quarta pars. Posito systemate Malebranchiano nulla reliqua est libertas. Nam qui liberam dicere possumus, mentem, quae nihil ipsa per se agit, sed omnes actiones suas a Deo excipit immediate? Sublata vero libertate, ne leges quidem morales locum ullum habere possunt. Itaque nullum erit nec bonum, nec malum morale. Hoc vero non solum totam Christianam Theologiam, verum etiam Naturalem evertit.

Systema Leibnitianum perpenditur.

Prop. XXVII. Systema harmoniae praestabilitae & incertum est auctoribus ipsis, & gravissimis oppugnatur difficultatibus. Incertum esse auctoribus ipsis id satis probat, quod loco merae hypothesis habeant praecipui ejus defensores, Leibnitius,

tius, Wolfius, Bilfingerus. Accedit, quod hoc systema non potest nec directe, nec indirecte evidenter demonstrari, sed meris tantum conjecturis, velut hypothesis, constitui.

Sed & gravissimis difficultatibus oppugnatur. Primum in hoc systemate ratio sufficiens cujuslibet perceptionis, & voluntatis animi non est impressione sensuum, vel cerebri, sed in antecedente perceptione, & voluntate. Id vero, ut sit, necesse est, ut singulae perceptiones cum antecedentibus perceptionibus connexae sunt: est autem id falsum; cum infinitae sint perceptiones, quae nullam inter se concatenationem habent, veluti cum verba audimus nullo pacto inter se concatenata, aut objecta videmus, quae item inter se nullam habent connexionem. Quare systema harmoniae praestabilitae admittit in animo phaenomena sine ulla ratione sufficiente.

Secundo: hoc systemate item libertas perimitur: nam anima, & corpus fato interno subjiuntur, quandoquidem semper posteriores actiones a prioribus proficiscuntur.

Tertio: Itidem ut Malebranchianum internae experientiae adversatur: nihil scilicet clarius persentiscimus, quam commercium inter mentem, & corpus, quod his hypothesibus abrumpitur.

Coroll. Quamquam incerti adhuc simus, quo vinculo animi, & corporis unio perficiantur; tamen in disciplinis practicis influxus physicus tenendus est, nullaque ratio habenda hypothesium metaphysicarum. Nam ipsi hujusmodi hypothesium Auctores diserte monent, effectus unionis mentis, & corporis eodem modo semper se habere, quaecumque ea sit hypothesis, quam adoptare placuerit.

CAPUT III.

De idearum Natura, & Origine.

CUm ignoretur qua ratione mens corpori unitur, ut patet ex superioribus: necesse est, ut & ignoretur, quae sit idearum nostrarum origo, id quod sequentibus propositionibus demonstrabimus.

Prop. XXVIII. Mens nequit esse ipsa si-

sibi causa creatrix simplicium idearum; quas primum habet. D. Ideae sunt formae rerum, seu existentium, seu possibilium (ex def. 6.) quae idcirco continent realitatem objectivam earum rerum, quas exhibent. Si ergo primas, & simplices suas ideas mens sibi creare potest, ante omnes hujusmodi ideas continere debet realitatem objectivam omnium earum rerum, quarum sibi ideas procreat. Realitates autem objectivae rerum sunt ipsae rerum formae res ipsas exhibentes; ergo mens antequam habeat primas, & simplices ideas, illas jam continet, quod est contra hypothesim.

Prop. XXIX. Si ideae & perceptiones sunt una, eademque res, duorum alterum sit, necesse est: nempe aut mens sit subjectum mere passivum omnium cogitationum, non secus atque cera figurarum, quae in ea imprimuntur; aut ut ea omnes sibi rerum ideas etiam primas, & simplices procreet. D. Nam aut ideas excipit, aut non: si primum, quum ideae sint una, eademque res cum perceptionibus (ex hypothesi) omnes quoque perceptiones suas excipiet, id est, erit sub-

jectum

jectum mere passivum suarum cogitationum. Si alterum, erit ipsa sibi omnium idearum suarum procreatrix causa.

Prop. XXX. Ideae, & perceptiones non videntur esse posse una, eademque res. D. Sint: duorum alterum sequetur, aut mentem esse subjectum mere passivum suarum cogitationum: aut eam omnes sibi ideas procreare (ex prop. 29.). At si primum dicatur, mens nec vivens erit (ex def. 11.), nec magis mens, quam later crudus. Posterius minus etiam dici potest (ex prop. 28); non ergo perceptiones, & ideae videntur esse posse una, eademque res. Vide Scholium hujus propositionis in Elementis.

Prop. XXXI. Nihil potest mens intelligere, nisi in seipsa. Nam perceptiones sunt actiones mentis immanentes (ex prop. 16.), adeoque ei insitae; esse igitur nequeunt nisi in ipsa mente. Quare mens nihil potest intelligere, nisi in seipsa.

Peri-

Peripateticorum opinio super origine Idearum.

Prop. XXXII. Quod spectat ad originem idearum nec sibi convenit Peripateticis : & quae fertur vulgaris in scholis opinio, utut omnium verisimillima, incerta est, atque non levibus objectionibus obnoxia.

Ac prima quidem pars hujus propositionis constat ex historia opinionum Scholae Peripateticae. Arabes quidam, & Mauri Peripatetici censuerunt habere mentem apud se rerum species, quae a rebus extrinsecis excitentur tantum, non etiam progignantur. Albertus Magnus non negat species menti congenitas, licet doceat mentem, dum est in corpore, aut nunquam, aut raro iis uti. Avicena vero posuit omnium rerum intelligibilium intelligibiles species praexistere immaterialiter in Intellectibus separatis, seu Angelis, a quorum primo deriventur in sequentem, & ab eo in alios, usque ad ultimum intellectum separatum, quem nominat *In-*

tel-

tellectum agentem, a quo tandem defluant in animas nostras. Vide Divum Thomam prima parte quaest. 84. art. 4. Ipse vero S. Thomas cum superiora repudiasset, docet nos omnia cognoscere in rationibus aeternis, quae sunt in Deo, quaeque lumine Divino, quo mentes nostrae illuminantur, nobis participantur. Idem vero auctor quasi sui immemor, saepe deinceps vulgarem opinionem sectatur, sensus scilicet esse idearum omnium scaturiginem. Sed communis Scholarum Peripateticorum opinio est, a sensibus imprimi in cerebro phantasmata: exiis vero ope intellectus agentis emergere species intelligibiles, quae sint immediatum objectum *intellectus passivi.* Intellectus autem hic *agens* quibusdam est ipse Deus: sed majori parte est facultas ejusdem animae. Hic intellectus, quicumque tandem sit, excipit phantasmata corporea, illuminat, & intellectui passivo offert. Ita veteres illae scholae divinabant magis, quam philosophabantur.

Altera vero pars ejus propositionis sic demonstratur. Vulgaris haec opinio supponit influxum physicum inter mentem, &

& corpus, qui gravissimis difficultatibus implicitus est (prop. 21.); ergo & vulgaris haec opinio iisdem difficultatibus subjecta est. Deinde quis intelligat motiones ab objectis externis in cerebro excitatas similes esse objectis illis, adeoque esse ideas, seu formas illorum objectorum? Itaque dici quidem potest ideas a sensibus proficisci, dicimusque quotidie omnes, quod nihil habeamus, quod probabilius dicere queamus, sed quid istud sit, intelligi nullo modo potest.

Democriticorum Systema.

DEmocritici, & Epicurei super origine idearum nostrarum sic philosophantur. Ajunt a rebus ipsis undequaque leves quasdam, & corporeas facies, quas illi *idola* vocant, avolare. Haec idola, dum cerebrum subeunt, ideae sunt, id est rerum ipsarum, unde avolant, imagines. Ex varia harum imaginum commixtione omnes idearum associationes pendere arbitrantur. Vide Lucretium lib. 6. de *natura rerum.*

Prop. XXXIII. Democriticorum opinio pugnat cum rerum corporearum natura: cum certis animi phaenomenis: nec ullo modo originem idearum intellectualium expedit Principio si tot imagines corporeae perpetuo a corporibus avolant, jamdudum oportuit corpora solida fuisse in nihilum redacta. Deinde qui fieri potest, ut tot rerum simulacra multis modis in cunctas undique partes vagentur, quin alia aliis corrumpantur, praesertim in tanta corporum distantia? Praeterea qui fieri potest, ut hujusmodi simulacra praesto omnibus semper sint cogitare volentibus, atque voluntati omnium obediant? Tum quae esse possunt simulacra rerum abstractarum, veluti veritatum geometricarum, & metaphysicarum? Tandem mens est substantia incorporeae (ex prop. 52.), omniaque in seipsa intelligit (ex prop. 31.), ergo simulacra isthaec in animum penetrare debent: quo autem id modo fieri doceant Democritici?

Sys-

Systema Malebranchianum.

MAlebranchius in tertio libro de Inquirenda veritate opinatur nos omnia in Deo videre, cui mentes nostrae arctissime conjunctae sunt. Atque hanc esse existimat idearum nostrarum originem.

Prop. XXXIV. Hypothesis Malebranchiana est incertissima. Primum ea nullis aliis argumentis nititur, nisi hypotheticis. Deinde ea cum sensu omnium hominum communi pugnat, tum pugnat cum intimis experimentis. Praeterea inutilem reddit unionem mentis, & corporis, inutilesque sensus. Ad haec, si vera est; omnes sumus Prophetae, & externa revelatio, & legislatio divina sunt inutiles. Tandem systema Malebranchianum (absit verbo invidia) impietati spinozisticae plurimum simile est: efficit enim Deum mentem universi.

Systema idearum innatarum.

DIstinguendae sunt hoc in loco, quod alias a nobis dictum est, *ideae innatae ab ideis naturalibus*, seu potius a naturalibus quibusdam judiciis. Ideae innatae vocantur illae, quas secum mens affert, dum corpori unitur, non quas acquirit, postquam corpori conjuncta est. Naturalia vero judicia sunt ea, quae mens humana aut a natura sua, aut a rerum natura necessario habet, ut *Totum est majus sua parte*: *Non post idem simul esse, & non esse*, ac similia, quae eadem sunt in omnibus hominibus, nec doctis tantum; sed indoctis etiam, & barbaris. Accedunt eodem *sensa quaedam naturalia*, quae vel ad naturam nostram pertinent, ut nos esse, cogitare, dolorem, aut voluptatem sentire; aut ad naturalium rerum cum natura nostra relationes, quae in omnibus sunt, & aut a mundo omnium oculis exposito, aut ab ipsa mentis nostrae natura proficiscuntur.

Prop. XXXV. Nequeunt ideae omnes

esse

esse innatae, seu menti ingenitae. Nam aut ideae hujusmodi sunt ipsae perceptiones, aut formae a perceptionibus distinctae. Si primum, omnes perceptiones, quas unquam habere mens potest, simultaneae sunt, quod conscientiae adversatur. Si alterum, necesse est tot distinctas ponere in animo insculptas formas, quot, quoad existit, & intelligit, habere potest, id est, infinitas id quod principio cum finita mentis natura pugnat; deinde quum anima sit incorporea, qui tot formis simul modificatam dicemus? Quid porrò esse hujusmodi formas? Non omnes igitur ideae innatae sunt. Accedit, quod quaedam sunt rerum notiones, quas sine usu sensuum, & rerum experientia nemo unquam habiturus est, quales ideae ferme omnes rerum hujus mundi, quas qui dicit esse menti ingenitas, is mihi delitare videtur, aut adversus communem hominum sensum garrire.

Prop. XXXVI. Nisi omnes ideae sint innatae, hypothesis idearum innatarum inutilis est ad originem idearum explicandam. Nam nisi omnes sint innatae, agnoscenda est altera via, qua reliquae

prove-

proveniant. Ita ambages iterum, & incertitudo super origine maximae idearum partis.

Prop. XXXVII. Systema idearum innatarum nullius usûs esse potest ad originem idearum explicandam. Nam non omnes ideae esse possunt innatae (ex prop. 35.): & nisi omnes sint innatae, inutilis ea est opinio ad idearum originem explicandam (per prop. superiorem.)

Prop. XXXVIII. Quoniam non omnes ideae esse possunt innatae (ex prop. 35.); Patroni idearum innatarum constituere debent alteram viam, qua reliquae ideae acquirantur. Ea autem ex eorum sententia est aut sensus, aut reflexio mentis, ut scilicet reliquae ideae, quae innatae sunt, aut a sensibus proficiscantur, ut a reflexione, conjectura, ratiocinio. At hac via semel constituta, difficile est dicere, quaenam sint ideae innatae. Facillime enim demonstrari potest, omnes ideas, quae pro innatis habentur, a sensu, & ratiocinio originem suam habere, id quod copiose egit Lokius de *Intellectu humano*. Quare aut omnes ideae innatae constituendae sunt, negandumque ullas a sensibus

sibus provenire: aut si ad sensus confugere velimus, contenti esse possumus vulgari opinione, ideas omnes a sensu, & reflexione originem habere, utut eam minus intelligamus. In praxi vero haec tantum vulgaris opinio sectanda est, quod in Logica praecepimus.

CAPUT IV.

De humana mentis Libertate, ejusque extensione.

Prop. XXXIX. Mens humana est libera, sed intra quosdam fines ea libertas continetur. D. Libertas est ea mentis facultas, qua ex ratione boni, vel mali propria sese determinat ad agendum, aut cessandum, (ex definit. 15.): plurima autem mens humana ex propria boni, vel mali ratione, non invita, sed volens, ac lubens, agit, vel omittit (ex intima experientia); ergo mens humana est libera.

Jam vero libertas nostra ex ratione, & potentiâ activâ pendet: ratio autem, & potentia activa humanarum mentium fini-

finitae sunt; ergo finita est humana libertas, seu intra suos fines continetur. Libertatem autem *actu* dico, non *potentiâ.*

Sch. Humana libertas digito, ut ita dicam, demonstrari potest. Nam quoniam causae necessariae agunt semper secundum totas suas vires, & homo parte virium agere potest majori, vel minori, prout libet, id quod digito ostendo, quo subjectum aliquod corpus magis, aut minus premere possum; fit, ut vis hominis agendi non sit determinata, & necessaria, sed sui juris, & libera. Vide dicta in prima parte.

Prop. XL. Homines praediti sunt libertate a coactione. D. Haec libertas est ea, quae a nullo extrinseco fato determinatur (ex Scholio definition. 15.); libertas autem humana a nullo extrinseco fato determinatur (ex prima parte): est ergo libertas a coactione.

Sch. Illud in veteri Schola aecerrime disputatum est, voluntas necessarione *practicum*, ut vocant, *intellectus judicium* sequatur, an libere? Necessario sequi Thomistica Schola docuit, eo permoti argumento, quod voluntas, seu libertas, ni-

nihil sit aliud, nisi *electiva ratio*, *electivus* intellectus. Certe ea doctrina S. Thomae est omnium, ut ego quidem existimo, Metaphysicorum acutissimi, ac minutissimi. Eadem doctrina est hodie inter Philosophos communis. Enimvero voluntas sine ratione constare nequit; eaque ratio est, cur brutis animantibus libertatem denegemus. Quin si voluntatem nulla ratione, sed ipsam per se permoveri, dicamus, impetus naturae erit, ac coactus, non liber.

Interim Schotus, ejusque plerique asseclae, viri & ipsi acuti, & in his rebus docti, adversantur, ac ipsam per se liberam, & per se moveri libertatem nostram existimant. Qui licet in mala causa versentur, tamen sunt audiendi; nec enim contemnendis rationibus pugnant. Quarum ea primaria est, quod videtur interno fato libertas subjici. Hanc rationem ita occupare videtur S. Thomas: objecta in quae fertur voluntas, ad duo genera conferri possunt: sunt enim *finis*, *& media ad finem*. Media item duorum generum: Nam aut cum fine necessariam habent connexionem, aut non habent. Il-

la item duplicia, aut conspirantia; aut opposita. In finem naturali motu, & necessario fertur voluntas. In mediis non connexis sui juris est, ac plene indifferens, nisi cum actu permovetur. In mediis connexis, si clara ratione pateant, nec indifferens, nec libera. Si minime pateant, libera. Totam hanc quaestionem accurate pertractat Guilielmus Estius in *Secundum Sententiarum librum*.

Prop. XLI. Motiva, quae libertatem humanam determinant, sunt perceptiones boni, vel mali; seu bona, & mala objectiva, judicium practicum. Nihil manifestius esse potest, si intimam conscientiam consulamus.

Prop. XLII. Ideae rerum, quae nos circundant, si Summi Boni ideam exceperis, finitam exhibent realitatem, adeoque finitam bonitatem; ut idcirco vim infinitam in voluntatem permovendam exercere nequeant. Est id per se manifestum.

Prop. XLIII. Voluntas humana est infiniti cupida. Id constat eo, quod nullâ finitâ bonitate plene sibi unquam satisfacit.

Prop. XLIV. Libertas humana est libera

bera a necessitate naturae. D. Quae libertas pendet a motivis sibi intrinsecis, quorum actio nec infinita est, nec unum in modum determinata, est libera a necessitate naturae: talis vero est libertas humana: nam cum determinetur a bonis, vel malis objectivis (ex prop. 41.), quorum activitas nec infinita est (prop. 42.) nec unum in modum determinata, nec infinitam animi cupiditatem potis rapere (prop. 43.); libera est a necessitate naturae.

Prop. XLV. Hinc sequitur, libertatem humanam suapte naturâ esse indifferentem. D. Nam nec extrinsecùs cogitur (ex prop. 40.), nec intrinsecùs ab ipsa hominis natura (ex prop. superiori.). Hanc indifferentiam motiva quidem rationis determinant, ut dictum est; sed non absolute, ita, ut cogant, quia non infinitae potentiae, id est, quia circa res non ita infinite bonas, ut naturam nostram plene perficiant.

Sch. Quaeritur, plenane ea sit indifferentia? Sunt qui perfectum, aequilibrium exigunt, quo libertas constet. Qui si id ita dicunt, ut, ubi perfectum ae-

quilibrium nec est, ne peccatum quidem sit, vereor ut possint peccata ulla reperire. Id certum est, esse quaedam, quae voluntatem allicere possunt, nec tamen necessario rapere: nam & hujusmodi inclinationes rationi subsunt, ut disputat S. Thomas 2. 2. q. 82. & 83.

CAPUT V.

De Propensionibus, & Habitibus, tum de Memoria.

Prop. XLVI. AMor existentiae est homini naturalis, & lex humanae naturae mechanica, qua illa ad consentaneum sibi finem fertur. Nam quae propensiones reperiunt & in hominibus omnibus, & semper, & cum natura ipsa commixtae, eae naturales sunt: ejus autem generis est amor existentiae, cum neminem reperiamus, qui eo non tangatur, & quidem naturaliter; est ergo naturalis.

Prop. XLVII. Amor commodi est homini naturalis, & altera lex humanae naturae mechanica.

D.

D. Commodum est, id, quo naturae nostrae situs aut violentus, aut incommodus, minimeque nobis consentaneus, commutatur in naturalem, quo natura sibi satisfacit. Quum autem situm violentum, & incommodum velut naturae repugnantem animantia omnia naturaliter aversentur, fit, ut commodum, quo ei malo succurritur, naturaliter sequantur. Itaque amor commodi tam est naturalis, & mechanicus, quam amor existentiae.

Scholion. Erant hujusmodi propensiones ad naturam animalem conservandam necessariae: nam quoniam non habemus in nobis totum id, quod ad nostri conservationem sufficit; necessarium erat, ut ita crearemur, ut & esse appeteremus; & appeteremus ea, quibus & esse, & bene esse possimus. Harum tamen propensionum prima est existentiae, altera commodi; quia primum est, ut simus, deinde ut bene simus.

Prop. XLVIII. Propensio in melius bonum, seu felicitatem, est propensio naturalis, eaque necessaria ad genus humanum conservandum. Primum haec propensio in omnibus est hominibus, & semper;

per; ergo naturalis est. Deinde sine propensione ad felicitatem commoda humana nullo modo promoverentur, quae quum natura ipsa incitante promoveantur: argumento est ingenitam eam esse propensionem.

Prop. XLIX. Appetitus veneris, & amor prolis est quarta naturae animalis lex mechanica. Nam is appetitus item & in omnibus est animalibus, & cum natura animali commixtus. Erat & hic impetus generibus animantium conservandis necessarius.

Scholion. Si ergo naturam nostram animalem perpendamus accurate, reperiemus, nos a natura ipsa habere, & esse, & bene, beateque esse, & genus nostrum propagare velle. His addi potest gloriae, id est inter sui generis eminentiae cupiditas, qua homines, nisi stupidi, omnes naturaliter agitantur. Ex his genericis propensionibus particulares aliae proficiscuntur, sunt enim primarum illarum modificationes quaedam, quae usu vitae fiunt, & stabilitatem acquirunt. Sunt autem hujusmodi propensiones, ut dictum est, nobis necessariae. Quare Philosophus non in

in eo operam suam ponere debet, ut eas evellat, aut comprimat, nisi de hominibus truncos efficere velit; sed ut ex recta ratione regat, & componat. Nam quemadmodum, si rationem sequantur, ipsae per se vitam humanam jucundissimam, & beatam efficere possunt, ita si adversus rationem tumultuent, miseriam efficiunt. Sequuntur autem rationem, si recta ad humanae vitae finem intendantur. Qua de re in Ethicis dicemus.

Prop. L. Hae propensiones non in omnibus hominibus eandem vim habent. Id patet continua experientia. Sunt enim quidam vitae negligentes, commodorum incuriosi. Idem praesente statucontenti non admodum meliori tanguntur. Tum non paucos videas, qui Veneris impetus haud valde persentiscunt. Alii contra & in vita tuenda superstitiosi sunt, & commodorum, ac melioris status vigiles indagatores, ac persecutores. Stimulis autem Veneris adeo sollicitantur, ut vel leves imagines eos accendant.

Scholion. Totum id a temperamento pendet. Temperamentum dico primam corporis humani partium constitutionem,

ac

ac vim. Corpus humanum solidis constat, &. fluidis. Solidorum omnium origo sunt fibrae: fluidorum cibus, ac potus, aer, ignis. Fibrae terra, glutine, ferro constant. Inde earum elasticitas, ac vis: ex hac maior, aut minor irritabilitas: hinc temperamentum lentum; aut facile irritabile. Ex cibo, potu, aere, igne generantur sanguis, lympha, humores, spiritus, eorumque vis. Sed & ad temperamentum non minimum confert magnitudo, & figura vasorum, per quae fluida defluunt. Hinc igitur petenda ratio intensitatum, & variarum modificationum, propensionum, & instinctorum, concupiscibilis, & irascibilis, ac inde nascentium affectuum, quibus natura nostra obnoxia est. Porro quum partium illarum quum solidarum, tum fluidarum vis plurimum pendeat ab aere, & igne; intelligitur, quid climata possint in animantia telluris omnia. Sed & diuturna illarum partium inflexio, ac modificatio non leve momentum habet ad earum vires vel roborandas, & acuendas, aut infringendas, & debilitandas. Atque hinc intelligitur, quid efficere in nobis educatio possit. Demum quum

quum litterae, & regimen politicum educationem efficiant: inde reddenda ratio, cur mutatis studiis, & regimine politico, tanta saepe varietas in temperamentis, propensionibus, & affectionibus contingat.

Prop. LI. Omnes habitus exercitatione acquiruntur, & intenduntur, desuetudine vero remittuntur, aut delentur. Debilitantur quoque, aut delentur contrariis habitibus. Praeterea non iidem sunt in omnibus, nec in eodem semper. Est id perspicuum ex perpetua experientia.

Sane quum habitus sint modificationes primarum propensionum, & virium naturae humanae pro varietate objectorum, quibuscum conversamur; ii non alia ratione acquiri possunt, quam exercitatione, & consuetudine: nec alia deleri, quam desuetudine, aut contraria exercitatione.

Prop. LII. Hinc fit, ut nullus sit habitus innatus. Nempe habitus omnes exercitatione acquiruntur, desuetudine delentur, nec iidem sunt in omnibus (ex prop. superiori); quae autem sunt talia, nequeunt esse naturalia, & ingenita.

Sch. Quid igitur sibi volunt, qui docent,

cent, in primis S. Thomas, *principiorum moralium* ingenitum esse habitum? Principia practica sunt ea, quibus officia moralia homines regunt, veluti illa, *neminem laede: suum cuique tribue: honeste vive*: id est, ut Seneca interpretatur, *homo homini amicus esto: honora parentes: Deum cole &c.* Haec principia vim insitam habere, qua nos ad consentanea officia impellunt, nemo sibi conscius dubitaverit. Ea vis syntherisis a quibusdam dicitur. Haec vis *habitus* ab iis vocatur. Ac revera habitus est, quum disciplina, & educatione acquiritur. Alioquin potius vis insita instar naturalium propensionum est, quum ipsa per se sine disciplina agit. Sunt qui hanc vim *sensum moralem* appelant, cumque habent; veluti primam, atque insitam regulam boni, & mali moralis; qua de re alibi.

Prop. LIII. Omnes habitus animi simul, & corporis sunt. Nam habitus sunt potentiarum naturalium facilitates actuum exercendorum, exercitatione acquisitae: in iis ergo sunt subjectis, quorum actum exercitatione acquiruntur. Acquiruntur autem exercitatione actuum mentis simul,

&

& corporis; quandoquidem nullae esse possunt actiones animi; quibus totidem non correspondeant in corpore; nec ullae corporis, quibus consentaneae non respondeant in animo; in utroque igitur sunt subjecto, id est *in homine*. Inde vero intelligitur cur habitus, qui animi dicuntur, debilitentur, aut deleantur fracto morbis, aut aetate corpore: & iterum, cur habitus, qui dici solent corporis, vehementer torpescant, & frangantur, animo ab iis abducto, aliisque rebus intento.

Prop. LIV. Quae actiones aut majori animi attentione exercentur, aut intentiori aliquo affectu, aut voluptate, & dolore, eae impressionem in nobis faciunt altiorem, & diuturniorem. Qui habitus hujusmodi actionibus acquiruntur, & facilius acquiruntur, & sunt diuturniores; quia iis actionibus vehementius natura inflectitur.

Sch. Hinc potest reddi ratio, cur in magnis Rerum publicarum motibus magni animi, ac praecellentia ingenia erumpant.

Prop. LV. Habitus humani, quo plures

res fuerint, eo debiliores evadent. Nam vis naturae humanae finita est; ergo distracta in plures habitus, minor ejus pars singulis inhaeret; ex quo fit, ut debiliores evadant. Qua ex re moniti esse debent, qui egregii & excellentes in aliqua facultate esse cupiunt, ut ne pluribus simul animum intendant.

Prop. LVI. Memoria est habitus, licet potentia ideas excipiendi naturalis dos sit. Nam omnes habituum habet proprietates. Primum ingenita non est. Secundo exercitatione acquiritur, eaque tenacius memoriae haerent, quae pluries, & frequentius animo volutaverimus. Tertio desuetudine debilitatur, & obliteratur. Quarto rerum numero, & varietate laborat, atque obtunditur. Quinto iis omnibus, quibus vis humanae naturae corroboratur, aut debilitatur, corroboratur, & debilitatur memoria. Sexto minus fatigata major est. Quae omnia ita habituum sunt propria, ut perspicuum sit memoriam esse habitum.

Prop. LVII. Omnes habitus constant memoria, & remiscentia. Nam omnes habitus sunt facilitates producendi actus conti-

tinuata, & harmonica serie, omnesque sunt animi simul, & corporis (ex prop. 53.) ergo in omnibus habitibus conjuncta sunt cùm motionibus corporis totidem animi actiones, perceptiones nempe, & voluntates incredibili celeritate percurrentes, eademque proportione sese aliae alias consequentes. Cùm autem id sit memoriae; sequitur omnes habitus memoria constare.

Prop. LVIII. Facilitas ratiocinandi, seu ars calculandi ideas habitus est, etsi vis ratiocinandi innata sit. Nam haec facilitas, & ars exercitatione acquiritur, desuetudine amittitur.

Prop. LIX. Tota humana eruditio, seu omnes scientiae humanae, duobus generalibus habitibus continentur: nam omnes scientiae humanae continentur memoria, & arte, seu facultate ideas calculandi, ut patet: est autem memoria habitus (ex prop. 56.) item habitus facilitas ratiocinandi (ex prop. 58.); omnes ergo scientiae humanae duobus habitibus continentur.

Corol. Ex quo sequitur nullam humanam scientiam acquiri posse sine exercitatio-

tatione. Praeterea scientias humanas magis, aut minus perfecte acquiri, prout magis, aut minus exercitantur humana ingenia. Tum debilitata, aut amissa memoria scientias obliterari. Tandem hebetata per desuetudinem arte calculandi, & disciplinas quoque hebetari, ac evanescere paullatim. Probat haec senum historia, quos repuerascere & vetus proverbium, & tristis experientia docet.

Prop. LX. Habitus cum difficultate delentur. Id constat experientia. Scilicet postquam longa consuetudine naturam in hanc, aut illam partem inflecimus, facile esse nequit aut ad perpendiculum reducere, aut in contraria flectere.

Sch. Nihil ergo magis interest vitae humanae, quam sub initium actionum, aut passionum nostrarum accurate perpendere, quae inde facilitas aut agendi, aut patiendi nasci possit: ne si ea cum felicitate nostra pugnet, tota vita cum ea sit conflictandum, aut tota vita miseros esse.

CAPUT VI.

De causis Physicis voluptatis, & doloris, tum de affectibus.

Prop. XXV. Voluptatum, & dolorum omnium causae physicae sunt commotiones in corpore excitatae, quibus energia, & compago corporis nervosa, ac irritabilis aut turbatur, aut turbata restituitur, aut aequabiliter conservatur. D. Nam causas hoc in loco physicas dicimus eas, quibus positis, semper existit effectus; ablatis evanescit: hujusmodi autem sunt commotiones in energia, & compage nervosâ corporis excitatae: nempe iis positis sensus voluptatis, aut doloris repente existit, sublatis cedit, & ita quidem, ut nullus sit dolor, nulla voluptas cujuscumque generis, quae non eas motiones consequatur. Sic positis motionibus istis in corpore, voluptates, & dolores, qui corporis dicuntur, sentiuntur; & ubi eaedem commotiones ab animi perceptionibus excitantur, dolores,

aut

aut voluptates, quae dicuntur animi, nascuntur; inde ergo voluptates, & dolores immediate progignuntur.

Sch. Sunt autem hominis status, quod ad hanc rem pertinet omnio quatuor. I. Vuluptatis aequabilis, quae ab aequabili corporis energiâ nascitur: hic naturalis est. II. Voluptatis gestientis, quae nascitur, quum compescitur gravis doloris motio. III. Doloris aequabilis, qui nascitur ab aequabili perturbatione, quae in corporis humani energiâ generatur, qualis est, quum bilis, aut alterius humoris copia major, quàm par est, sanguini immiscetur. IV. Doloris impetuosi, & dilacerantis, qui existit ex vehementiori perturbatione energiae nervosae, qualis est in contusione, pressione, aut dilaceratione solidorum. Sed & illud animadvertendum est, esse voluptates, aut dolores quosdam, qui in tota machina sedem habere videntur: alios vero dolores, aliasque voluptates, quae in una tantum corporis parte sedem fixisse sentiuntur. Voluptates, & dolores prioris generis nascuntur ex commotione, quae totum corpus occupat, qualis est fluidorum, aut

nervorum: posterioris vero ex commotione, quae in una tantùm corporis parte fit, ut solidorum. Ad prius genus pertinent dolores, & voluptates omnes animi, quia fluidorum harmoniam turbant, aut restituunt, ad secundum vero plerique dolorum, aut voluptatum corporis.

Corol. I. Ex quibus sequitur, voluptatis, & doloris intensitatem semper esse in ratione intensitatis perturbatae, aut restitutae harmoniae machinae humanae, nam intensitates effectum semper sunt in ratione intensitatum actionum, a quibus nascuntur.

Corol. II. Sequitur secundo, voluptates, & dolores necessariò consequi naturam humanam, quae nunc est. Nimirum nascuntur ex iis causis physicis, quae eâ existente naturâ humanâ, quae est, nequeunt non in illâ locum habere. Praeterea sunt hae affectiones naturae animalis, idcirco animantibus omnibus communes. Quum autem tota insit in homine natura animalis; & necessariò eam naturam dolor, & voluptas consequantur; necessariò quoque sequuntur naturam humanam.

Prop. LII. Est in omnibus animantibus

vis quaedam activa, cujus actione, & reactione animalis vita continetur. Id est per se perspicuum.

Prop. LIII. Affectus omnes nascuntur ex perceptione boni, aut mali, suntque vis illius naturalis (prop. 62.) impetus intensiores, quibus aut persequimur bona externa ad nostri conservationem, & felicitatem pertinentia: aut mala externa aversamur, quibus nostri conservatio, aut felicitas oppugnatur. D. Scilicet ita naturâ ipsâ comparati sumus, ut perceptio boni vim nostram animalem aequabiliter explicet, atque idcirco in nobis voluptatem ingeneret, ac laetitiam, amorem, spem, desiderium, pro vario ejus boni situ ex relatione ad naturam nostram: perceptio vero mali, eam vim premat, & porprocreet dolorem, atque aegritudinem, timorem, zelotypiam, iram desperationem, item pro vario mali percepti situ, magnitudine proximitate, distantiâ, &c. Omnes hujusmodi commotiones sunt impetus quidam vehementiores naturae nostrae, quibus sequitur, quod sibi deesse animadvertit: aut ea fugit, quibus destrui, aut infelicitari posse intelligimus.

Prop.

Prop. LIV. Omnes affectus sunt manifestum argumentum naturae mutabilis, nec infinite perfectae. D. Nam affectus sunt commotiones ejus naturae, quae id sequitur, quod sibi deesse animadvertit: aut id fugit, a quo sibi malum aliquod timet: quae esse nequeunt in natura infinite perfectâ & immutabili.

Prop. LV. Affectus necessariò consequuntur naturas animales non infinite perfectas. D. Nam hujusmodi naturae, ut sint, & appetere debent, quae sibi desunt; & timere ea, a quibus destrui possunt, aut infelicitari.

Prop. LVI. Affectus necessariò comitantur naturam humanam. D. Nam quoniam necessariò consequuntur naturas animales non infinite perfectas (ex prop. 65.) & natura humana animans sit non infinite perfecta; sequitur hanc necessariò affectus comitari. Quare affectus in homine non ex Adae peccato nati sunt, licet ex Adae peccato, eorum impetus, & rebellio nata sit.

Prop. LVII. Affectus, nisi fuerint falsi, sunt homini non solum necessarii, verum etiam utilissimi. D. Nempe quum

neque infinite perfectus sit, neque indestructibilis, conservari nequit, nisi bonorum fruitione, declinatione vero malorum. Bonis autem nemo perfruitur sine voluptate, nec iis frui studet, nisi incitatus a spe, desiderio, amore: nec quisquam aversatur mala, nisi commotus timore, odio, dolore; ergo ut homo conservari possit, atque bene; beateque esse, necessarii sunt affectus. Scilicet sunt affectus in homine velut elateres quidam, quibus natura humana, ejusque vis activa sustinetur, aut explicatur, aut cohibetur, aut impellitur, prout necessarium est, & ut existat, & ut bene, beateque sit, seu pro varia magnitudine, situ, vicinitate, distantià bonorum, aut malorum. Quinimo ad magnas virtutes exercendas necessarii sunt affectus vehementiores, seu vis animantis explicationes. Itaque Plato scribit magnorum virorum fuisse neminem sine enthusiasmo, id est, sine vehementia affectuum. Quamobrem videmus perpetuo eos, qui non facile affectibus concitantur, stupidos esse, & ineptos. Quare vitandi quidem sunt affectuum excessus, qui fere semper vitia sunt; non vero avellendi af-

fectus ipsi, quod nec fieri potest, nec si posset, tentandum.

Prop. LVIII. Aversatio mali, quae naturalis est homini, sequitur ex amore nostri, & boni, idque necessariò, totaque ejus ratio sufficiens posita est in eo amore, atque idcirco est ita necessaria, ut amor ille. Est haec propositio evidens: nam nemo quidquam aversatur, nisi quia aut naturae suae, aut iis, ex quibus naturae suae perfectio pendet, contrarium est: neque, quae contraria sunt naturae humanae, iisque, quibus ea perficitur, & conservatur, aversari quispiam potest, nisi quia se, & quidquid se perficere potest, necessariò amat.

Prop. LIX. Omnes affectus sunt veluti reactiones amoris, & nostri, & summi boni, provenientes ex peculiaribus objectis nobis consentaneis, aut infestis. D. Nam omnes affectus sunt modificationes variae naturalis erga nos, & bonum nostrum amoris, & naturalis aversationis mali. Quum vero aversationes ipsae amorem nostri, & boni consequantur (ex prop. 68.); sequitur affectus omnes esse modificationes varias amoris nostri, & summi

mi boni excitatas ab objectis peculiaribus bonis, vel malis. Jam vero hujus modi modificationes tum demum nascuntur ex objectis externis, si ea natura nostra aut sequatur, vehementius, aut aversetur, quod fit reactione naturae nostrae in objectorum repraesentatorum actionem. Ergo omnes affectus sunt reactiones amoris nostri, & summi boni, adversus objectorum bonorum, vel malorum actionem.

Prop. LX. Affectus auctâ, atque emendatâ ratione intra suos terminos plurimum contineri possunt. D. Nam affectus in vitium abeunt, aut quum excitantur, quando iis natura nostra non eget; aut cum justam intensitatem excedunt: utrumque autem defectu rationis fit. I. Scilicet cum circa existentiam objectorum decipimur: II. Cum decipimur circa objectorum bonitatem, vel malitiam Quum autem auctâ, & emendatâ ratione hujusmodi errores magnâ ex parte vitari possint; sequitur auctâ, & emendatâ ratione affectus plurimum intra suos cancellos contineri posse.

Corol. Ex quo consequitur, ut brevis, & turbata sit in iis ratio, in quibus

bus affectuum excessus dominantur. Atque hoc fortassis est, quod Stoici dicebant, non cadere in sapientem affectus, quòd scilicet affectuum excessus pugnent cum sapientia.

Prop. LXI. Quodcumque naturae nostrae conservandae, aut perficiendae aptum est, bonum dicitur, estque; malum vero, quodcumque destruere potest, aut deteriorem reddere.

Prop. LXII. Bona, & mala voluptate, & dolore vulgò metiri solemus. D. Scilicet ea dicere solemus bona, quae in nobis voluptatem ingenerant. ea vero mala, quae creant dolorem.

Prop. LXIII. In bonis, aut malis aestimandis si solam voluptatem, aut dolorem sectemur, plurimum errare possumus. D. Nam sunt quaedam voluptates, quae nostrae conservationi, & perfectioni adversantur ob mala, quae secum rapiunt: quidam vero dolores, qui nos conservare, & perficere possunt ob bona, quae afferunt, ergo sunt quaedam voluptates malae, quidam dolores boni, non quidem suapte naturâ sed ob adnexas consequentias. Quare si ex voluptate

tantùm, & dolore bona, & mala aestimemus, plurimum errare possumus. Itaque hac in re est in consilium adhibenda ratio, ne, ut pecora, praesente tantùm sensatione, non etiam ratione, & providentiâ vitam transigamus.

Prop. LXIV. Bonitas, aut malitia externarum rerum, & hinc amor, aut odium, antipathia, aut simpathia, plurimum a constitutione naturae nostrae pendent. D. Nam pro constitutione naturae nostrae, non pro vi tantùm suâ, res externae nos voluptate, aut dolore commovent. Itaque fit, ut plerumque tota bonitas, vel malitia alicujus rei externae in naturae nostrae constitutione rationem habeat. Nam ex constitutione est temperamentum: hinc phantasia: atque hinc tandem ratio saepissime modificatur. Hinc intelligimus, cur quaedam amemus, aut odio habeamus, sine ullâ externâ causâ nobis notâ. Inde etiam petenda est ratio, cur amemus quaecumque sunt similia rei a nobis plurimum amatae; odio verò habeamus, quae similitudinem quamcumque habent cum eo objecto, quod nos tristitiâ afficit. Hinc tandem fit, ut amemus eos, qui simili-

milibus affectibus, & studiis, atque nos, tenentur, & delectantur; odio vero habeamus eos, qui delectantur contrariis. Ex ea causa nascuntur partium studia, quum in Republica civili, tum litterariâ.

Prop. LXV. Miseriae ejus, qua in hac vita premimur, necessariae insunt in natura nostra causae, eaeque quatuor. I. Intellectûs brevitas, & imbecilitas: II. Appetitus naturali potentiâ major: III. Affectus impotentes: IV. Natura mutabilis, nec sibi ad beatitudinem sufficiens. D. Primum enim intellectûs brevitas, & imbecillitas efficit, ut non semper vera bona ab apparentibus discernamus, unde provenit, ut saepe mala pro bonis complectamur. Deinde plura bona cognoscimus, & appetimus, quae consequi viribus nostris nequimus: plura intelligimus mala, quae vitare non possumus. Tum affectus freni inpatientes mille nos malis perpetuò excruciant. Tandem natura nostra, & mutabilis est, & dolori subjecta, & sibi ad beatitudinem non sufficiens. Cum quatuor istae causae a natura extirpari nequeant; naturâ ipsâ fit, ut ne, dum vivimus, plene beati esse queamus.

Corol.

Corol. Hinc vero admonemur primo; ut quoniam sola natura nostra plene beati esse nequimus, perquiramus, sit necne, ulla extra nos causa, quae plene nos beatos efficere queat. Deinde admonemur, hujusmodi causam tres habere debet conditiones: nempe esse debet intelligentissima, ut intellectum nostrum plene perficiat: potentissima, ut perficiat nostras vires, & naturam: & infinite perfecta, ut appetitui nostro satisfaciat.

Sch. I. Nolo ego hîc quisquam suspicetur, me praesentis vitae mala ita exaggerare, ut multo illa bonis plura, & majora habeam, hominunque aut perditorum, aut tristium, & querulorum in naturam humanam indignationem exacuam. Nam contra nihil ego exploratius habeo, quam bona, & voluptates, quibus, dum vivimus, fruimur, generatim, & plura esse, & majora, etiam dum minus ex recta ratione vivimus, quod plerique omnes faciunt; ut si viveremus omnes secundum naturam, & rationi rectae congruenter, sola naturae mala, quae dicuntur, in tanto, ac tali bonorum cumulo aut evanescerent, aut essent, quod in opipa-

ris

ris mensis herbosa moreta aut certe minus illa persentirentur tantumque, quantum nos ad virtutem revocandos satis essent. Itaque illud mihi in ea propositione propositum est demonstrare, perfectam beatitudinem nemini in hac vita contingere posse, id quod ergo *relative* miseriam voco; non hoc etiam, nos ad miseram vitam a natura generari, quamquam ad laboriosam generemur. Nam idem non est laborare, ut fit tranquillius, atque esse miserum. Sed retractemus haec paullo pluribus, quo morosorum hominum, & turbulentorum stultas voces comprimamus.

II. Primum ego argumentum, vitae humanae bona longe esse plura, & majora, quam mala, hinc duco, quod nemo est, quantumvis senex, aut malis obrutus, qui non vivere etiam aliquantulum velit, quique vitam inopem, miseramque non morti praeferat. Hic in omnibus naturae sensus constantissimus, magnum est, ut dixi, argumentum, nos vehementer falli in bonis, & malis dijudicandis, eaque judicia non ex natura nasci, sed ex libidine, esseque hominis aut

aegri

aegritudine, vel dolore agitati, aut ex abstracta ratione declamantis, quam *naturali*, & se, suaque natura contenti. At vero hujusmodi seditiosas & injurias in Dei bonitatem voces ab iis audias, qui aut dolore premuntur, aut animi intemperie agitantur aut cum adversa fortuna colluctantur, & tum, quum mala sentiunt. Qui si ad naturae aequabilitatem redeant, serioque, & acurate integram humanam vitam reputent, haud dubito, quin illi aequius de se existiment.

III. Alterum argumentum desumo ex eo, quod bona vitae sint perennia, mala per vices recurrant. Conscientia existentiae, libertatis naturalis, mentis, sensuum, perennis est, quoad vivimus, eaque cum aequabili voluptate conjuncta. Est hoc bonorum omnium vitae humanae maximum, quod quoniam perenne, & perpetuum minus animadvertimus, nec in sensum bonorum referimus, qua in re stulti, & in nos ipsos ingrati sumus, Equidem quum solutus omni curâ cogito me esse, me mentis, & libertatis esse compotem, me oculis, auribus manibus esse instructum, esseque in immenso hoc natu-

naturae templo, velut in pulcherrimo theatro, positum, nullam ego voluptatem huic anteponi posse sentio. Itaque ut hoc bonorum omnium maximum censeo, ita mirari eos non desino, qui extra se perpetuo vagantur, ac veluti si sibi infesti nati sint, in se, animumque suum redire exhorrescunt. Qui, si ita pergunt, vere quidem ii malorum cumulum praedicant; non recte tamen, neque jure de natura conqueruntur.

IV. Sed est, inquit aliquis, perennis haec voluptas minus intensa, quam vel mediocris dolor, vel animi aegritudo, ut nullo modo compensare posse videatur luctus, aerumnas, calamitates, affectuum crudelissimam, & impotentem dominationem, orbitates, corporis contusiones, fracturas, lanienas, pressuras, dolores articulares, morbos capitis, pectoris, laterum, febrium inflammationes, famem, sitim, aestus, rigores, & trecenta alia, quibus, licet per vices, frequentissime tamen omnes affliguntur. Ego contra longe superare censeo. Primum capiamus vitam humanam annorum 60 sunt in ea dies 21900 circuiter. Si serio homines

unius

unius Civitatis, qui ad annum 60 devenerunt, ad quaestionem adigas omnes, vix reperies in miserrimis, idest paucissimis, dimidiam cujusque anni partem aegritudine, & dolore conflictatos, in aliis quartam, sextam in aliis: est ubi reperies octavam, decimam, duodecimam, in paucissimis nullam. Eximamus extrema, ac accipiamus partem sextam. Erit bonum illud aequabile cujusque anni ad mala omnia ut 6 ad 1. in tota vita ut 21900 ad 3670. Accedant nunc ad bonum illud aequabile voluptates gestientes, gustus, tactus, aurium, occulorum, narium, tum somni, inambulationes, gesticulationes: jam plurimae animi, praesertim in iis, qui philosophantur, veritatum pulcherrimarum contemplationes, confabulationes, & conversationes, amicorum, amicitiae, & caritatis ipsius vis, & sexcentae alliae. Haec ergo omnia, quae quotidie incidunt, quartam saltem cujusque diei partem efficere opinor, id est fere quartam cujusque anni partem, ut quasi adaequent & numero, & intensitate mala illa, de quibus conquerimur. Itaque etiam ubi haec omnia

mala

mala sint a sola natura, ea non compensantur modo bonis, sed longissime superantur.

V. Jam demamus de isto malorum calculo sic negligenter facto omnia mala, quae ipsi nobis consciscimus; neque enim aequum est, ut illa in naturam referamus. Me nunc tota haec ratio mirifice exhilarat, & beat: nam certum est naturae mala, quae invitus patior, pene ab oculis evanescere, ubi ego illa demere velim, quae sunt homini ab homine: itaque pene beatus esse possum, si ad rationem rectam vivere volo. Principio plurima esse reperio, quae aut meae ignorantiae, aut defectui attentionis; aut vitiis, & pravis habitibus originem suam debent, quae vitare possum, si, qua par est, diligentia mentem excolam. Quot sunt, quae negligentia, aut pigritia, aut ignavia, aut cupiditas, aut avaritia, aut superbia, aut levitas, aut ingluvies, aut veneris abusus, aut ceterrorum sensuum incontinentia & gignit, & alit? Quot affectuum excessus, quo libenter fovere solemus, amoris, irae, odii, inimicitiae, metus? Nullum est vitium, quod non malum aliquod

secum deferat. Animi aegritudines, quae malorum omnium sunt maximae, maxima ex parte a vitiis progignuntur. Plerumque ex ignorantia proficiscuntur, ut panici timores, gaudia falsa, inanes amores, leves irae, odia, spes. Non ratio stolida meditatione intenduntur eae aegritudines, quae, si naturam sequeremur, longe essent minores. Naturale est homini interitu filii acerbo dolere, quia naturalis in liberos amor; nec id malum, quia humanae vitae fini consentaneum, ad societatem ineundam, & continendam necessarium. Sed necesse non est naturae malum meditatione augere velle. Perpetuo in memoriam revocare, vivide depingere, omniaque agere, quae dolorem vehementissimum excitare possint, id nec natura exigit, & pravae rationis malum est. Ac peccamus saepe similiter in ceteris animi morbis: videntes, & prudentes illos intendimus, dum fovemus. Ita ex levissimis causis excandescit ira, fervet cupido, alitur, vegetatque ambitio, nutritur, aut excitatur timor, quibus misere torquemur. Haec qui in naturam refert, naturae is impudentissime calumniatur;

tur: quippe quae evadere potest, si ex recta ratione vivere instituat.

VI. Deinde infinita aliqua sunt in humana vita mala, eaque gravissima, quae non natura, sed sunt homini ab homine, quae & ipsa ex malorum illo cumulo demere opportet. In primis sunt quaedam corporis mala, quae cum femine majores nostri in nos transmittunt, qui quum prima futurorum hominum ovula, ac machinas foedassent, monstrosos generant, imbecilles, mancos, praesertim, postquam lues venerea totum ferme hominum genus infecit. Sunt alta mala, quorum & iidem majores nostri causas posuere veluti inimicitiae, bella, lites, mali mores, depravatae consuetudines, perniciales artes. Tum alia, quae alter alteri machinatur, quorumque est numerus pene infinitus, quibus alii aliis vitam, bona, famam, animum inficimus, quorumque in Elementis ex Arnobio historiam discere possumus.

VII. Haec quum sint, ubi mala, quae nos nobis consciscimus a malis naturae discernere velimus, intelligitur aperte, esse haec bonis, quae a natura ipsa parata ha-

bemus, & prompta, quibusque quotidie fruimur, longe minora. Ut propterea si velimus ad naturae simplicitatem, unde discessimus, redire, beati vivere possimus. Naturae enim pauca sufficiunt, libidini nulla. Itaque si, ut dixi, congruenter naturae vitam agere velimus, eaque omnia, veluti onera quaedam, rejicere, quae sunt superflua, quaeque affectuum, & phantasiae libido adduxit, nihil humana vita jucundius experiri possimus. Sed venimus in immensum superfluarum rerum apparatum tam alte, ut enatare sine humanae vitae, & societatis evertione posse non putamus, in eoque ex iis causis erramus turpissime, quas ipsi nobis fecimus.

VIII. Tertium tandem argumentum, quo ego conficio, nos non ad miseriam, sed ad beatitudinem generari, miseriamque ipsos nobis consciscere, est illud, quod longe absunt naturae mala a malis voluntatis. Nam illa ad nostram beatitudinem, & tranquilitatem fere pertinent; his nihil aliud efficitur, nisi aut privata, aut communis miseria: ut nulla alia re clarius intelligere possimus, esse illa effectus amoris erga nos Dei; haec ignorantiae,

rantiae, & irae nostri ipsorum adversus nos ipsos. Nam illa virtutem fere semper aut in animis nostris ingenerant aut alunt, aut custodiunt, nosque ad vitae commoda, & procuranda fortiores, & ad utendum sapientiores efficiunt: haec vero virtutem omnem aut enervant, aut extirpant, quumque a vitiis progignuntur, tum vitia alia ingentia progenerat. Quum autem, quidquid ad virtutem refertur, bonum sit; quae vitia attinent, mala; sequitur esse illa semper bona, haec perpetuo mala. Sed ea de re disseruimus copiosius in tertia parte Elementorum.

CAPUT VII.

De hominis Beatitudine, tum de Virtute.

Prop. LXVI. Natura ipsa admonemur in omnibus nostris actionibus beatitudinem spectare, nec praesentis tantum vitae, sed sempiternae quoque. Primum lege ipsa naturae mechanica in ipsum bonum rapimur (ex prop. 48.) id est in id, quo natura nostra conservatur, & per-

ficitur, ut cum voluptate simus; ergo natura ipsa rapimur ad beatitudinem. Deinde quoniam mentis vita ultra praesentem hominum aetatem pertingit, seu aeterno est (ex prop. 14. & 15.) possumus in altera vita miseri esse, vel beati. Quum vero miseriam horreamus naturaliter; natura ipsa admonemur, non praesentis tantum vitae beatitudini studere, sed aeternae potissimum. Haec igitur naturae vox est attente audienda, & saepe in animum revocanda; quod ii non efficiunt, qui tam stulte vivunt, ut nihil sua interesse videatur, quo in loco sint, quidque sibi sperandum sit, aut timendum, quorum magna est generis humani pars.

Prop. LXVII. Sempiternum bonum, etiam minimum, praestantius est bono finitae durationis, etiam maximo. Est propositio per se ipsa manifesta.

Prop. LXVIII. Sempiternum bonum intensitate maximum, etiam probabile, praestantius est bono finitae durationis, etiam maximo, & certo. Nam nulla esse potest proportio inter finitam durationem, & infinitam, quum sit aliqua inter probabile, & certum: nam ex Arte conje-

etandi

ctandi probabilitas est una, ac definita; &, ut aiunt, aliquota certitudinis pars.

Prop. LXIX. Ex duabus superioribus propositionibus sequitur, stultos esse homines, qui qualiacumque presentis vitae bona in comparatione eorum, quae in altera vita aeterna sperantur, non contemnunt. Nam aeterna illa bona, quae sperantur, maxima sunt, & intensitate, & duratione; ergo etiam si ponantur esse probabilia, tamen in comparatione praesentium finitae durationis, & intensitatis praeferenda sunt (ex prop. 77. & 78.) Quod quum recta ratio aperte docet; sequitur cum recta ratione eorum vitam pugnare, qui contra, quam haec propositio, docet, vivunt. Jam stulti sunt, quorum vita cum recta ratione pugnat; stulti ergo sunt ii, &c.

Prop. LXX. Qui contra, quam superior propositio docet, vivunt, quo hic felices sint, in maximo sunt errore, & causas ponunt omnium gravissimas praesentis miseriae, nisi plane sint stupidi. Nam qui ita vivunt, ut quasi intra ambitum praesentis vitae spes nostra filiatur, nisi sint plene stupidi, nequeunt

non

non esse ob notiones futurae vitae anxii, & soliciti, & inquieti, eoque vehementius agitari, quo ad hujus vitae finem properant: hoc autem est miseriarum praesentis vitae maxima; nam & ipsa per se animum dilaniat; & omnes voluptates praesentis vitae inficit. Qua ex re fit, ut toto conatu naturalem hanc felicitatem prosequentes, & aeternam amittant, & hic sint infelicissimi.

Prop. LXXI. Non potes praesentis vitae plena felicitas in alio esse posita, quam in hoc, ut corpus sine ullo dolore sit, animus sine ulla perturbatione, adeoque in statu aequabilis voluptatis. Est per se manifestum.

Prop. LXXII. Hic status consistere nequit cum praesente hominum natura: nam praesens hominum natura insitas habet, & necessarias doloris; & aegritudinis causas, brevitatem, & imbecillitatem rationis: inconstantiam, & mutabilitatem naturae: affectus freni impatientes: naturam denique minime sibi sufficientissimam.

Corol. Maxima ergo, quae, dum vivimus, obtineri a nobis potest beatitudo est minima miseria, id est, si ita vivamus,

mus, ut summa dolorum totius vitae minor sit summâ voluptatum: ac propterea quò summâ dolorum minor est summâ voluptatum eò major erit praesentis vitae felicitas.

Prop. LXXIII. Emendatio intellectûs, capacitas mentis, & rationis perfectio, necessaria sunt ad qualemcumque praesentis vitae beatitudinem. Nam haec efficiunt, ut minus in bonis seligendis, & utendis erremus adeoque ut summa dolorum minor sit. Enimvero maxima aegritudinum, & dolorum praesentis vitae pars provenit ex ignorantiâ, imprudentiâ, & erroribus intellectûs, quae maximâ ex parte evitare possumus, si rationem excoluerimus, & perfecerimus. Scilicet omne peccatum esse ignorantiam non sine gravi ratione Theologi gravissimi docent.

Prop. LXXIV. Philosophia, id est studium sapientiae, ad beatitudinem praesentis vitae plurimum conferre potest: sed ea regenda est epoche in iis, ubi evidentia deficit, & jungenda cum ataraxia, id est quiete, & indolentiâ animi, seu pervestigatae res reperiantur, seu non. Primum: Philosophia intellectum emendare,

seu

seu rationem perficere, & augere plurimum potest: est autem hoc ad beatitudinem necessarium (ex prop. 83.); ergo & Philosophia. Deinde nisi in iis, in quibus evidentia deficit, judicium cohibeatur, id est adhibeatur epoche, temerarios non efficere potest, atque ut in plures errores nos agere praecipites, ita in pluribus nos implicare. Tandem nisi jungatur cum ataraxia cum infinita sint, quae investigari quidem possunt, sciri vero nequeunt, aut anxietas nos infelicitabit, aut studium partium, atque odia, & bella nos totâ vitâ agitabunt.

Sch. Philosophiam autem cum dico, nec sophisticam intelligo, nec chimericam, quae tantum abest, ut felicitatem nostram facere possit, ut potius miris modis infeliciet; quia rationem non perficit, sed corrumpit, & ut vetus historia docet, adversus nos ipsos armat. Itaque eam hic accipi volo, quam in Logica per partes explicuimus.

Prop. LXXV. Ad praesentis vitae beatitudinem consequendam, & conservandam necessaria est prudentia cum suis asseclis. Scilicet prudentia est scientia bonorum, malo=

malorumque, & mediorum, vel faciendorum, vel non faciendorum, & neutrorum. Ei subjectae sunt vis consultandi, recta computatio, mentis advertentia, callida providentia, ordinandi facultas, decori observantia, verecundia, &c. Haec omnia autem nisi adhibere scias, nec animo pecato, nec corpore sine dolore vivere potes, quod est ad praesentis vitae qualemcumque beatitudinem necessarium; prudentia ergo cum suis asseclis necessaria est, &c.

Prop. LXXVI. Ad praesentis vitae beatitudinem necessaria est fortitudo cum suis asseclis. Est fortitudo illa animi dispositio, qua mala fortiter tolerantur. Cum autem, dum vivimus, necessario mala persentiamus (ex prop. 75.) nisi ita animum assuefaciamus, ut naturae mala fortiter toleremus, illa graviora nobis erunt, magisque nos infelicitabunt.

Scholion. Animadvertendum autem est hoc in loco, mala, quae, dum vivimus, patimur, ad quatuor classes conferri posse. Prima continet mala naturae, seu illa, quibus subjecti sumus, quia animantes, ut morbi, calor, frigus, fames, ac deni-

denique mors. Altera complectitur ea mala, quae in nobis locum non habent, nisi propter imprudentiam, ignorantiam, & errores nostros, quaeque, si sapientes simus, vitare possumus. Tertia classis comprehendit mala, quae nobis inferuntur ab aliorum hominum pravitate, & malitia. Quarta tandem continet contradictiones, quas in hominum societate ob ingeniorum humanorum diversitates omnes patimur. Prima mala evitari omnino nequeunt, sed prudentiâ, & sapientiâ minora, & pauciora effici; quae autem supersunt inevitabilia, fortiter toleranda sunt. Stultum enim est adversùs necessaria eventa pugnare velle, atque pugnando efficere graviora. Mala secundae classis vitari possunt sapientiâ, & prudentiâ: si non evitabimus, velut justae punitiones ignorantiae, & errorum nostrorum habenda sunt, ac proinde pacato animo ferenda. Mala tertiae classis & ipsa maximâ ex parte vitari possunt prudentiâ, & sapientiâ vitae. Quod si aliquando nobis immerentibus contingant, toleranda sunt, velut exercitationes virtutis nostrae. In malis tandem quartae classis

in

in primis necessaria est patientia. Ad ea amolienda necessarium est, ut ingenium contrahamus flexile, quo possimus omnibus nos aptare; nam in societate civili ingenia elastica, & dura facilime franguntur. Id autem in primis est in animum inducendum, injustum esse velle, ut ceteri omnes ex ingenio nostro cogitent, & vivant; quod quidam dum stulte contendunt, rixis, contentionibus, bellis, ac malis omnibus naturam humanam opprimunt. Temperamenta, & hinc ingenia hominum, tam sunt diversa, quàm vultus; ut non minus stultum sit velle omnia ad unisonum adducere, quàm studere, ut omnes uno nascantur vultu. Itaque, quae in iis a communi hominum ratione sunt abnormia, studere debemus, ut ad rationem retrahamus: in ceteris quemquam suo sensu vivere sinamus. Quam enim non modo iniquum, sed ridiculum quoque est, quod saepe fieri video, subirasci, quod non omnibus ii cibi, ac potus, vestes, studia, cetera placeant, quae nobis sunt in deliciis? Qui non irascamur quoque, quod non omnes oculos habeant nigros, prolixosque capillos?

Prop.

Prop. LXXVII. Ad praesentis vitae beatitudinem necessaria est temperantia. Nam ad praesentis vitae beatitudinem necessaria est mentis serenitas, & corporis indolentia. Quum autem temperantia immodicos appetitus moderetur, qui mentis serenitatem turbant, corpus infinitis morbis subjiciunt, totumque hominem continuis vitae periculis exponunt; sequitur temperantiam necessariam esse ad praesentis vitae beatitudinem. Temperantiam autem hoc in loco appello non eam tantum virtutem, quae moderatur immodicos appetitus cibi, potionis, veneris, sed omnes affectuum impetus, & excessus, omnem omnino intemperantiam, *modum*, ut Latini loquuntur, & *modestiam*. Scilicet ut Delphicum illud *ne quid nimis* in tota vita, omnibusque vitae studiis servetur. Ita enim haberi potest vitae aequalitas, quae aut praesentem beatitudinem efficit, aut est.

Prop. LXXVIII. Ad praesentis vitae beatitudinem necessaria est justitia cum suis asseclis. Nempe vita hominis ita suapte naturâ est socialis, ut esse nequeat sine societate. Quum ergo nemo extra

societatem esse possit, ne beatus quidem extra societatem esse potest. Sed nisi in societate quisque sciat, & paratus sit neminem laedere, & suum cuique tribuere, in mutuum bellum armantur omnes; atque idcirco in mutuam perniciem, ergo ad praesentis vitae beatitudinem necessarium est, ut homo sciat, & paratus sit neminem laedere, suumque cuique jus tribuere. Ea vero est justitia; ad praesentis ergo vitae beatitudinem necessaria est justitia.

Prop. LXXIX. Ad praesentis vitae beatitudinem necesssria est mutua hominum benevolentia. Est enim praesentis vitae beatitudo in eo posita, ut summa voluptatum major sit summâ dolorum; ergo ad praesentis vitae beatitudinem necessaria sunt ea omnia, quae summam voluptatum majorem efficere possunt, minorem vero summam dolorum. Inter haec autem nihil praestabilius mutuâ inter sese hominum benevolentiâ: nam ea efficit, ut maxima mala, quae sunt homini ab homine, cessent, aut ad minimam portionem adducantur; & contra magna bona, quae alii aliis praestare possunt, lo-

cum

cum habent; ergo efficit & summam vitae voluptatum majorem, & minorem summam dolorum: quare fit, ut ad praesentis vitae beatitudinem nihil magis conducat, quam mutua hominum inter sese benevolentia.

Corol. Quae his omnibus, quae superius demonstrata sunt ad beatitudinem necessaria, adversantur, nos ad beatitudinem impeditiores efficiunt, miseriamque nostram augent. Demonstratione non eget, quando superiores propositiones sunt verae.

Prop. LXXX. Perfectio rationis, Epoche, Prudentia, Temperantia, Fortitudo, Justitia, Amor speciei humanae, cum suis asseclis, sunt virtutes morales: his contraria sunt vitia. D. Virtus moralis est quae perficit facultates rationales ad beatitudinem; vitium vero, quod impeditiores ad illam efficit (ex definit. 23.): hujusmodi autem sunt ea omnia, quae recensuimus: primae ergo sunt virtutes, posteriora vitia.

Corol. I. Nonnisi ergo virtute esse homines beati possunt; vitio non possunt esse, nisi miseri.

Corol.

Corol. II. Virtus homini necessaria essent, etiamsi nulla esset altera vita: quia nonnisi eâ tantum in hac beati esse possumus.

Prop. LXXXI. Virtus, quae ad beatitudinem necessaria est, non est actus, sed habitus. Nam virtus necessaria ad beatitudinem debet perficere facultates hominis rationales ad beatitudinem, id quod fit, & obstacula removendo, id est, mala, quae homini aut a natura, aut ab ingenio, aut a consuetudine malâ accidere possunt: & expeditiores hujusmodi facultates efficiendo ad bona sectanda, & constanter: ea autem singulares actus praestare nequeunt: quare sunt necessarii habitus ipsi virtuosi. Scilicet occallere pectus honesto debet ei, qui beatus esse velit, ut scilicet a proposito tenasci nec terribilia dimoveant, nec revocent blanditiae.

Schol. Sed capacesne sunt homines virtutis? Id magnopere in Graecis Scholis controversum fuit. Ac esse capaces id demonstrat apertissime, quod nullo aevo defuerunt homines justi, prudentes, temperantes, sui generis amantes, &c. nec vero

ro fuissent, nisi capaces virtutis essemus.

Porrò & id quaesitum est, naturâ nobis virtus contingat, an exercitatione? Ego sic existimo, utraque fieri, ut virtutibus informemur. Nam natura subjectum praestat virtutis capax; exercitatio habitum inducit. Quamquàm autem omnes virtutis capaces sumus: sunt tamen alii prae aliis capaciores, idque ob temperamentum magis, aut minus flexile; nec in his tantum habitibus; sed in omnibus contingit.

Praeterea quaeritur, haec virtus mutetne naturam ac intimitus perficiat, an modificet tantum, & moderetur, atque aut fraenet, aut extimulat? Virtutem autem dico non divinitus infusam, sed exercitatione nostrâ acquisitam?

Equidem quum cogito Naturam rerum eandem esse semper, & constantissimam in omnibus iis rebus, quarum sunt perpetuae feries, veluti plantis, animantibus, brutis, ceteris, etsi non rarò externa forma, & figura commutetur; fieri non posse decerno, ut in hominibus tantùm variet, quantum vulgo extimatur interesse inter cultos homines, & agres-

tes:

tes : nam naturalia modificari quidem possunt, mutari autem nequeunt. Quare quemadmodum ex iis equis, canibus, elephantis, quercubus, oleis, & id genus aliis, quae nunc sunt, de iis judico, quae fuere ante, quique aut sex mille annos, aut quae olim post mille erunt; eâdem ego ratione de ceteris hominibus ex praesentibus disserendum puto. Natura in hominibus physica eadem hodie est, quae olim fuit, aut erit, & quidem eadem, & tota: inclinationes ergo naturales, atque vires eaedem: idem ingenium. Quum autem a physicâ illâ naturâ plurimum moralis pendeat, & determinetur, modificari quidem his nostris virtutibus potest, commutari certe non videtur posse. Ac vero si vetustos, qui celebrantur, Heroes coram, atque intus vidissemus, non minus illos insaniae subjectos fuisse intelligeremus, quàm reliquam hominum turbam, quàm stultam, & insanam appellamus. Sed & qui apud nos Heroes videntur, ii saepe non sunt, nisi iis, qui speciem tantum illorum contemplantur, interiorem naturam ignorant. Pleraque aetum, quae apud nos, in quibusdam vir-

tutes sociales sunt, ubi ad examen revocaveris, reperies procul dubio nasci aut a naturae quadam stupiditate, aut a magnis vitiis, ambitione, avaritia, timore. Eam ambitioso usquequò dignitatem, quam petit, supremam adipiscatur, nemo humanior, nemo liberalior, nemo plura Herois indicia prae se fert: idem inhumanus, truculentus, sui parcus, caeterorum contemptor, postquam adeptus est. Avarus studiose crimina in societatem evitat, ne illa quid divitiis detrimenti afferant, atque bonus ab iis praedicatur, qui in se ut non bonum, ita non malum experiuntur Parvi quoque animi est avarus; itaque solitarius. Idem tamen si tuto, & suae virtutis quoque specie alios deglutire possit, nihil veretur. Timidus, ut qui sibi ab omnibus metuit, metuat, necesse est, omnes. Hinc in omnes reverentia, quae humanitas celebratur, nec est, nisi magni naturae vitii argumentum. Quamobrem, nego humanam naturam aut tempore, aut studio intimitus ipsam per se, aut etiam educatione, meliorem fieri. Nam quanquàm educatio civilis ferox hoc animal, ut vocat Plinus, emollire videa-

tur,

tur, plurimumque possunt dubio habitus: si rectè tamen animadvertatur, nihil aliud, nisi actionem, ac formam externam, qua plurimum in societate capimur, non ipsam naturam perficit, quae in homine ut fuit eadem semper, ita erit, licet inflectat nonnunquam, & froenet, aut extimulet. Atque inde conficio, non humanitus plene posse naturam nostram perfici, sed divinitus.

Prop. LXXXII. Ad beatitudinem alterius vitae necessaria est fides in Deum, & Dei gratia. D. prima pars. Alterius vitae beatitudinem revelatione sua Deus nobis promisit apposita lege, *nihil coinquinatum in Regnum Dei intrare*; ne autem simus coinquinati, conformare mores debemus ex legibus ipsius Dei: ergo ad beatitudinem illam consequendam necessaria est Divinarum legum scientia, & observantia. Cum autem pleraeque Divinae leges cupiditatibus nostris adversentur, ut illas observemus, praeferre debemus Dei rationem, & voluntatem rationi, & appetitui nostro. Id vero nunquam obtinebimus, nisi mentem nostram obsequentissimam Dei voluntati praebeamus;

ita ut ejus sapientia, bonitas, fidelitas & imperium nos concutiat, Deique timor in nobis dominetur: id vero est plene Deo credere; fides ergo Divina necessaria est ad alterius vitae beatitudinem obtinendam, velut primum vitae Christianae fundamentum.

D. secunda pars. Experimento discimus praesentis vitae bona vehementius nos allicere, quam aeterna, scimusque plurima praesentis vitae bona adversari contendentibus ad aeternam. Ad eam vitae perturbationem & depravationem curandam necessarium est, & ut mens illuminetur, ita ut vera bona a falsis discernere sciat, & ut roboretur voluntas, ut aeterna bona praesentibus, quum adversantur illis, praeferat. Quum autem id a natura nostra habere nequeamus, a Deo petendum est. Itaque Dei gratia, quae mentem illuminet, & voluntatem corroboret, necessaria est ad aeternam beatitudinem consequendam.

Corol. Sed eadem fides, & gratia pro praesentis quoque vitae felicitate necessaria est. Nam quoniam in natura nostra insitae sunt miseriae causae, ut dictum

est,

est; quibus remedia in rebus nostris nulla reperimus; a Deo petendum est, & separandum auxilium, quo aut curentur, aut fortiter tolerentur. Praesertim ad affectuum impetus cohibendos, quae, ut Epictetus ait, naturae nostrae quasi tempestas quaedam est, ratio, & habitus ipsi virtuosi saepe vim nullam habent. Nam incidunt interdum casus, in quibus, ob magnas naturae commotiones, ratio pene omnis evanescit, ipsique virtuosi habitus hebetantur; ut, nisi divinâ ope juvemur, brutorum animantium in morem nos agamus.

Prop. LXXXIII. Interest nostra, & generis humani, ut omnium animis systema morale, quo superiores veritates contineantur, magnisque ad impellendum motivis instructae sint, per modum legis promulgatum perpetuo praesens sit. Ita enim omnes ea frui possunt felicitate, cujus, dum vivimus, capaces sumus.

Prop. LXXXIV. Hoc systema libris Christianorum divinis continetur, idque magnis motivis corroboratum, praemiis scilicet, & poenis aeternis. Id satis aperte ostendunt divini Christianorum libri;

nec

nec esse ulli ignotum potest, nisi ei, cui libri illi nefando quidem ad aures venere. Sed & nos in tertiâ parte mox demonstraturi sumus.

Prop LXXXV. Omnium interest, ut in omnium animis regnet Christianismus. Patet ex prop. superior. Scilicet omnium interest, ut honeste, juste, sancte, atque idcirco tranquilli, & beati vivamus: quum ad id integrum regularum vitae moralis, & civilis systema, & divina vis per animos humanos diffusa, sint necessaria (ex sup.); eaque Christianismus, qui in succum, & sanguinem transierit, prestet (ex sup.); intelligitur, quantopere omnium intersit, sitque ab omnibus desiderandum, ut Christianismus in omnibus animis dominetur.

INSTITUTIONUM METAPHYSICAE

PARS III.

Principia Theosophiae.

NUlla est totius Philosophiae pars nec magis jucunda, nec magis necessaria, quàm ea, quae de *Deo*, *&* *Religione* disserit, quaeque *Theosophia* nominatur. Principio quid pulchrius, quàm Patrem, & Opificem Mundi contemplari? Deinde quid magis necessarium, quàm eum cognoscere, a quo sumus, & conservamur, & a quo tantùm plene beati effici possumus? Praeterea officia nostra, aut adversùs Deum, aut adversùs nos, aut adversùs alios homines lege naturali, velut primâ, & immutabili regulâ in animis nostris insitâ regenda sunt. Cum autem legis naturalis vis, & efficacia tota sit a Deo, id est, a supremo Mundi legislatore; eum, quoad scimus, & possumus, intel-

intelligere debemus, ut vitam nostram sapienter gubernare possimus. Accedit, quod maximam habet vim in vitâ pacate transigendâ cognitio supremae Dei naturae, providentiae, beneficentiae, justitiae, potentiae: haec enim & in adversis spem nobis ingenerat melioris vitae, atque alacres efficit: & in prosperis sanctum quendam in nobis timorem incutit, quo animiis praesentis vitae illecebris abstrahamur: quae duo quantopere sint ad praesentis etiam vitae felicitatem consequendam necessaria, ex iis, quae in postremo capite superioris partis dicta sunt, facille intelligere possus.

Cognitio Dei, rerumque Divinarum, id est, *Theologia*, à duobus fontibus accipi potest, naturali scilicet rerum contemplatione, & Divina revelatione. Prior *Naturalis* appellatur, altera *Revelata*. Primam sibi vindicant Metaphysici: altera eorum est propria, qui Theologi appellantur. Nos priorem trademus, eâque viâ, & ratione, qua superiores duas partes persecuti sumus. Quid autem in hujus disciplinae studio, aut observandum sit, aut cavendum, id copiose praecepimus in Logica.

DEFINITIONES.

Def. I. DEus est Ens aeternum, omniscium, liberum, ab omni materiae compage segregatum, in se perfectissimum; ac proinde sibi ad beatitudinem sufficientissimum, universi causa, ejusque optimus gubernator.

Sch. Itaque si demonstraverimus ejusmodi Ens existere, ac cum iis proprietatibus, demonstratum erit Deum esse.

Def. II. *Omniscientia* est omnium earum, rerum quae aut sunt, aut futurae, vel possibiles sunt, perfecta comprehensio.

Scholion. Solet apud Theologos Divina scientia ita dividi, ut altera sit *simplicis intelligentiae*, *altera visionis*. Ea scientia, qua Deus in se, & naturâ suâ intelligit omnia possibilia, velut possibilia, *simplex intelligentia* appellatur. Ea vero, qua praevidet futura in suis decretis seu voluntatibus, *scientia visionis praescientia*, & *scientia libera* dicitur.

Porrò cum futura alia sint *absoluta*, ut

ut cras oriturum solem, alia *conditionata*, qualia sunt maxima eorum pars, quae ab agentibus liberis pendent, recentiores quidam Theologi scientiam futurorum absolutorum *visionis appellent & liberam*: scientiam vero futurorum conditionatorum *mediam*, quasi scilicet ex scientia intelligentiae, & visionis participantem.

Ceterum animadvertendum est, totam hanc scientiae Divinae partitionem non spectare naturam Dei; in qua nihil esse potest multiplex, & varium, sed pertinere tantum ad classes objectorum scientiâ illa comprehensorum. *Ea quae sunt divisim* (inquit S. Thomas *prima parte quaest.* 14. *art.* 1.) *& multipliciter in creaturis, in Deo sunt simpliciter, & unice.*

Def. III. *Omnipotentia* est potentia ea omnia solo nutu, seu voluntate faciendi, quae non sunt intrinsecùs impossibilia.

Scholion. Solet Dei potentia dividi in *absolutam & ordinatam*, seu *physicam*, & *moralem*. Potentia *absoluta*, & *physica* dicitur tota Dei vis activa, id est, omnipotentia: *ordinata* verò, & *moralis*, quae concipitur limitata a suis attri-

butis

butis moralibus. Quare a potentia Dei *physica* nihil potest eximi, nisi quod intrinsecùs est impossibile, a potentia vero *morali* eximuntur ea omnia, quae licet sint intrinsecùs possibilia, tamen non consentiunt cum Divinis attributis. Ex. gr. damnare innocentem potentiâ *physica* potest Deus, quia non superat ejus vim activam: *morali* vero non potest, quia pugnat cum ejus justitia, & sanctitate.

Def. IV. *Providentia* est earum rerum, quae sunt, aut futurae sunt, concatenatio, & gubernatio; aut quemadmodum, geometrice prorsus, definit S. Thomas: *Est ratio ordinis partium cum toto, & ordinis totius cum fine.* Duo itaque sunt ad providentiam costituendam necessaria. Primum plena futurorum praescientia. Secundum actio, qua singula entia quum ad suos fines particulares, ut totum ordinatissimum exsistat, tum ad communem quedam: & ultimum agantur. Deus ergo erit providus, si, & quae sunt, arte, & regulâ facta sint: & ita singula suis locis, & temporibus aptata, & cum singulis colligata, ut inde mirus partium, & totius concentus exsistat, & cuncta eum

eum finem, ad quem sunt facta, non solùm spectent, sed perpetuò sequantur, ac tandem consequantur.

Def. V. *Religio* est perfectus amoris, obsequii, & servitutis cultus, qui ei praestatur, cui naturâ ipsâ debetur.

Def. VI. *Superstitio* est cultus aut ei exhibitus, cui non debetur: aut ex erroneis circa rem cultam opinionibus manans: aut exhibitus ritibus absurdis, minimeque naturae rei cultae, & colentis consentaneis.

Scholion. Duae igitur sunt Religionis quasi partes, altera *Theoretica*, altera *Practica*. *Theoretica* est pura Dei cognitio: *Practica* vero sincerus, & rectus cultus. Hae duae partes separari a se invicem nequeunt. Nam nec sine *theoretica* recta esse potest *practica*: nec sine *practica* sufficit *theoretica*. Scitissime Lactantius lib. 4. Institutionum Divinarum. *Non potest*, inquit, *nec religio a sapientiâ separari, nec sapientiâ a religione secerni: quia idem Deus est, qui, & intelligi debet, quod est sapientiae, & honorari, quod est religionis.*

Ut id clarius intelligatur, errores, qui Reli-

Religioni adversantur, paucis hîc definie-
mus. Ac in primis ei adversatur *Atheis-*
mus, quo omnis Divinitas aufertur.
Atheismus autem est, vel *Materialis-*
mus, quo nihil, nisi pura materia in
rerum naturâ existere ponitur: vel *Pan-*
theismus, quo Deus cum universo in
unam substantiam mi cetur. Est etiam vel
negativus, cùm quis Deum esse igno-
rat, vel *positivus* cùm perfrictâ fronte
negat. Spinosa ex. gr. Atheus fuit *posi-*
tivus: Groelandi, si vera narrant, reperti
dicuntur Athei *negativi*. Vide Anderson
in Historia naturali Groelandiae. (*a*)

Alter error est *Epicureismus*, qui
omnem mundi Providentiam Deo tollit.
Tertius est *Scepticismus* universalis, in
quo etiam de Deo dubitatur. Quartus est
Naturalismus, quo ponitur solam reli-
gionem naturalem veram esse, perfectam,
& sufficientem: vocatur etiam *Deismus*.
Quintus est *Indifferentismus*, quo omnes
peraequè, quae in Terra sunt, Reli-
giones habentur perfectae, & sufficien-
tes. Sextus est *Politichismus*, quo Re-
ligio

(*a*) Id interim negat Mallet in *Monumen-*
tis mythologiae Celticae.

ligio in usum tantùm regiminis politici assumitur. Septimus est *Hypocritismus*, quo Religio simulatur, non habetur. Octavus est *Politheismus*, cum plures Dei aequales coluntur.

Def. VII. *Prophetia* est earum rerum praedictio, quae nondum evenerunt, cum praedicuntur, quaeque neque ex causis naturalibus, neque ex praesente rerum statu conjici possunt. Verae prophetiae character est, idemque certissimus, cum res praedictae ita eveniunt, ut praedictae sunt.

Def. VIII. *Miraculum* est effectum quodcumque, & contra consuetas naturae leges mechanicas, & supra vires causarum naturalium. Itaque duo sunt characteres veri miraculi. Primus, ut sit effectum contra consuetas naturae leges, veluti si flumen decurrens per planum inclinatum motum suum sistat. Secundus, ut sit supra vires causarum naturalium; veluti si id flumen sine ullis marginibus ad solum hominis imperium consistat.

Miracula ad duas classes referri solent, ut alia scilicet sint quod ad *substantiam*, alia quod *ad modum* tantùm. Quod ad

subs-

substantiam sunt, quum similia nullo pacto viribus naturae fieri possunt; ut resuscitatio mortuorum. Quod ad modum vero, cum similia fiunt viribus naturae, sed non eodem modo. Ex. gr. febrim curare naturae vires non superat, saepeque id efficit Natura: at curare uno verbo, & in instante, id vero est, quod Natura non solet efficere. Quare miraculum dicitur quod ad *modum*.

THEOREMATA.

CAPUT I.

De existentia Dei.

Prop. I. EXistit mens aliqua aeterna. D. Mentem, id est, substantiam cogitantem existere, constat ex intima conscientia. Quum autem repugnet series causarum infinita a parte anteriori (ex prop. 14. prim. p); & ex nihilo nihil fiat; neque ex non cogitante cogitans, id est, sine ratione sufficiente essentiae (ex prop. 3. & 7. primae partis); sequitur esse debe-

debere aeternam aliquam substantiam cogitantem, id est, mentem aeternam.

Sch. Ita, inquit aliquis, efficietur quoque, esse, & materiam aeternam: est enim materia: ea neque ex nihilo: neque ex non materia: neque ex infinita serie: aeterna ergo. Respondeo longe esse hanc rem a priori illa disparem: nam positâ mente aeternâ, reperio in ea rationem sufficientem materia. At sublatâ mente, positâque aeternâ materiâ, nullâ in re rationem sufficientem mentis reperire possumus.

Prop. II. Haec mens aeterna est incorporea, & vera substantia. D. Scilicet res per se subsistens, nec ab aliâ re intrinsecùs pendens (ex prop 20. 1. part.); ergo & mens aeterna incorporea est, & substantia.

Prop III. Haec mens aeterna debet esse infinite perfecta. D. Nam quodcumque est aeternum, est ens necessarium existentiae, & essentiae; & quodcumque est tale nulas habere potest causas limitationis naturae, aut attributorum, id est, debet esse infinitè perfectum (ex demonstratis in 1. p.); mens ergo aeterna esse debet infinitè perfecta. Corol.

Corol. Ex quo sequitur omnia attributa mentis aeternae esse infinitè perfecta, adeoque mentem aeternam esse omnisciam, omnipotentem, optimam, beatissimam, &c.

Prop. IV. Mundus non est aeternus. D. Nullae mundi partes, quum majores, tum minimae ita modificatae sunt, ut nequeant pluribus aliis modis modificari; ergo nulla mundi pars nec magna, nec parva est ens necessarium (ex prop. 17. 1. p.); totus ergo mundus contingens est, id est, non aeternus.

Scholion. Plurima sunt alia argumenta, quae idem demonstrant ex mundi ipsius phaenomenis desumpta. Vide Jaquelotium de existentia, & attributis Dei, eosque auctores, qui Dei existentiam ex naturae finibus demonstrant, in primis Dheram, & Niewentitium.

Prop. V. Mundus est opus mentis aeternae. D. Mundus non est aeternus (ex p. 4.), neque mundorum series aeterna praesentem mundum adduxit (ex 1. p. prop. 14.), neque emanatione essentiali ab aeternâ substantiâ profluit (ibidem prop. 33.); ergo creatus est ex nihilo. Quum autem exi-

gat intelligentiam, & potentiam infinitam; a Mente intelligentissimâ, & potentissimâ creatus est, id est, a Mente aeternâ.

Scholion. Mundum esse opus artis, & consilii, is ignorare potest, qui non solum ratione, verum etiam sensibus omnibus sit destitutus: sunt enim tanta, & talia quùm in totâ mundi machinatione, tum in singularum partium structurâ perfectae sapientiae vestigia, ut, quod praeclare Cicero animadvertit, inter homines ii artifices excelentissimi, & perfectissimi habeantur, qui operâ suâ ita naturam exprimunt, ut in eâ imitandâ propiùs accedere videantur. Stultum autem est eos artifices habere sapientissimos, qui pleniùs naturam effingant, atque imitentur, naturam verò ipsam sine ullâ ratione, & arte factam arbitrari.

Prop. VI. Existit Deus. D. Deus est ens aeternum, ab omni materiae concretione segregatum, perfectissimum, omniscium, atque omnipotens, beatissimum, mundi opifex, & gubernator (def. I.) existit autem mens aeterna (ex prop. I.) & incorporea (ex prop. 2.) & infinitè perfe-

perfecta; adeoque omniscia, omnipotens, beatissima (ex prop. 3.) & mundi causa sapientissima (ex prop. 5.); existit ergo Deus.

Prop. VII. Deus est unicus. D. Argumenta omnia, quae Dei existentiam probant, hoc probant, esse debere ens aliquod aeternum, intelligentissimum, potentissimum, perfectissimum, in quo sit prima ratio suficiens omnium existentium, & possibilium. Quum autem unum hujusmodi ens sufficiens sit, nullum esse potest argumentum, quo plura esse suspicari possimus. Deinde mundi gubernatio, & ordo unicus, idemque semper, unicam, eandemque semper ejus existentiae, & gubernationis causam indicant. Praeterea Deus est ens perfectissimum, id est, undequaque infinitum (ex prop. 3.): natura autem entis perfectissimi haec est, ut non habeat aequale. Tandem Deus existit necessitate naturae suae; ergo pugnat esse plures. Finge enim esse duos, cum non sit necessarium existere, nisi unum ens aeternum, & perfectissimum; intelligi potest alterum non necessariò existere; id quod pugnat cum existentiâ necessariâ:

sariâ. Vide Clarckium de existentia, & attributis Dei prop. 7.

Schol. Paucis complexi sumus quae Dei existentiam, & naturam spectant. Ea facillimè ab iis, qui paullo perspicaciores sunt, copiosiùs deduci possunt. Philosophi tria genera argumentorum ad Dei existentiam demonstrandam adhibere solent; Philologica, Physica, Metaphysica. Philologica praeter alios egregie pertractavit Jaquelotius in dissert. de Exist. Dei. Physica Derham, & Newentitius. Metaphysica Cudworthus, Clarkius, Fenelonus, Wolfius, plerique alii.

Philologica desumuntur ab historia humana, atque a consensu omnium Gentium. Primum, historia humana satis aperte demonstrat; genus humanum aliquando coepisse. Antiqua historia ultra Ninum non assurgit: nam memoriae Egyptiacae, Assyriae, Sinenses, quae paullo vetustiores sunt, manifestis fabulis revincuntur. Accedit, quòd ex veteri historia facile est videre, quemadmodum genus humanum ex una gente, idque ex Asia propagatum sit: nam veterum illarum migrationum adhuc non dubia vestigia super-

persunt. Praeterea novitatem generis humani ostendunt Civitatum exordia, & incrementa Imperiorum; notatae primae origines artium, & scientiarum, easque exiguae, & barbarae, a quibus veluti per gradus eò ventum est, quo sunt. Quoniam ergo constat, genus humanum initium habuisse, id profectò nec ex nihilo est, nec ex bruta materia; ergo a summo aliquo Conditore. Quòd si homines inde profecti sunt, ergo & Tellus tota. Est autem Tellus haec nostra cum toto Systemate solari juncta, ac colligata, ut ii norunt, qui vel primis labellis res astronomicas degustarunt; igitur & Systema solare ab eadem causa est. Quum eò ventum est, ecquid causae esse dicemus, cur universum totum non inde quoque sit profectum? praesertim quum graves conjecturae suadeant, omnia Stellarum systemata esse concatenata. Vide nostras *Meditationes Philosophicas.*

Jam vero nulla natio olim extitit, aut hodie existit tam moribus efferata, ut Deum esse, supremum universi conditorem, & gubernatorem, non constantissime & olim sibi persuaserit, & nunc teneat.

neat. Barbarae ipsae Nationes nuper a nostris Europaeis cognitae non solum ideam supremi cujusdam mundi conditoris, licet obscuram, & confusam, verum etiam externum cultum, & religionem habent, velut penitissimi Tartari, & Samojedae ad Oceanum glacialem siti: item Islandi, & Septentrionales Americani: tum Missisipenses, Canadenses, Mexicani: Peruani quoque, & Chilinenses, & Brasilienses. Jam Huttentoti, Caffari, Incolae Insularum Madagascaris, Sumarrae, Borni, Javae, Moluccarum, Philippinarum, ceterique ad Orientem positi: nam de interioribus Asiae populis, Indis citrà, ultràque Gangem, Sinensibus, tum & Japonensibus, nulli dubium esse potest, ut de Incolis Africae Orientalis, & Septentrionalis. Id autem constat ex perpetuis itenerariis nostrorum. Omnes autem Gentes vel a natura ipsa in hanc consensionem venerut, vel a Deo eam hauserunt doctrinam. Quocumque modo res se habeat, aut naturâ ipsâ perspicuum est Deum esse, quippe *consensus omnium Gentium naturae quaedam vox est*; aut doctrina est a Deo

ipso

ipso primis moralibus tradita: nam phaenomeni generalis item generalis sit causa, necesse est.

Quod si Gentes quaedam, paucae illae, & ignobiles, Deum ignorare repertae sunt, quod quidam Auctores retulerunt, id etiamsi concedere velimus, quanquam non esset dificile refellere; mirum tamen non est: quandoquidem ab humano commercio segregatae, ac vitae tantùm intentae, in immanem illam stupiditatem pervenire potuerunt, non quidem ut Deum negarent, sed ut non ita distincte animo volutarent, nec proinde admodum curarent. Interim paucorum hominum stupiditas non potest consensum caeterorum omnium minus validum efficere. Sed ne narrationes quidem illae verae esse possunt: proficiscuntur enim ab iis viatoribus, qui Gentes, quarum barbariem narrant, vix de facie cognoverant. At vero qui cum iis Gentibus diutius versati sunt, oppositum retulerunt. Incolas Capitis bonae spei Atheos esse primi viatores vulgaverant, quod falsum repertum est, postquam cum ea natione Europaei commercia agitare coeperunt. Videri potest descrip-

criptio Capitis bonae spei Andreae Kolbi. Idem efficit Mallet cum Groenlandis, atque Anderlon revincit. (*a*)

Athei vero quidam Philosophi, qui feruntur, aut ex animo non fuerunt, quum sit impossibile delere ex animo hominum, qui non penitus oculis, nec mente sint capti, notionem primae rerum omnium causae: aut si ex animo fuerunt, nulla est eorum ratio habenda: alioquin si res naturae ex furiosorum hominum judicio essent explicandae, nullum esset absurdum, quod non auctoritate alicujus Philosophi confirmari posset. Nec vero putandum est, omnes eos Philosophos, qui feruntur, Atheos fuisse. Plures enim in eum censum relati sunt, quod popularem superstitionem riderent. Clemens Alexandrinus negat, veteres illos Philosophos, Anaxagoram, Protagoram, Diodorum, Evehemerum, qui a Graecis Athei habiti fuerant, Atheos fuisse, putatque idcirco inter Atheos fuisse connumeratos, quòd unum Deum omnium conditorem, & conservatorem intelli-

(*a*) *Monumens de la Mythologie & de la Poesie des Celtes, Coppenhague* 1756. *in* 4.

ligentes, popularia numina spernerent. Et vero ob eandem causam primi Christiani Atheihabiti fuerunt, ut nos docent Justinus Martyr, Arnobius, Minurius Felix, quòd scilicet nec Templa ulla haberent, nec populares Deos colerent. Judaeos, *quod unum Numen, & sola mente colerent*, ut loquitur Tacitus, inter Pantheistas imperitissime retulit Strabo Geographus.

Argumentis philologicis accedunt argumenta physica. Ea desumuntur ex ordine, structurà, finibus, motibus universi. Immensa est haec Provincia, latumque discerendi campum suppeditat. Nos unum, aut alterum hinc desumptum argumentum attingemus: tirones enim in Theologia naturali instituendos suscepimus. Primum, magna haec universi machina tot parvis machinulis confecta est, quae ordine admirabili compactae sunt, & conservantur, unumque perfectum, & harmonicum conficiunt, ut nisi sapientissima quaedam, & potentissima causa partes ejus omnes ordinaret, contineret, moveret, procul dubio in chaos abirent confusum, quum nulla machinularum fit ex infinitis, quibus constat mundus, quae non possit infinitis aliis mo-

modis cum aliis colligari, infinitisque aliis modis modificari. Nec respondere juvat, mechanica temperatione virium universi aut centripetarum, & centrifugarum aut aliarum, potuisse tandem aliquando tantam machinationem existere, posseque nunc conservari. Nam primum, quum vires istae varias habeant determinationes in variis universi globis, aperte intelligitur non suae naturae necessitate mechanicâ, sed vi, & sapientiâ extrinsecae causae intelligentis haec omnia, & ex perfecta ratione moderantis, coaluisse, & stare. Deinde hujusmodi vires dum in perpetuo aliae cum aliis conflictu sunt, quod est necessarium in motibus circularibus, id est, compositis, necesse est earum quantitatem imminui, & directionem paullatim mutari, nisi perpetuâ manu restauratrice gubernentur, quod saepe agnoscit Newtonus omnium mortalium in iis rebus exercitatissimus.

Praeterea singulae partes universi suis, & ipsae partibus ordinatissimis constant, quarum aliae aliis serviunt, ut arte summâ ita factae, & ordinatae esse clare videantur. Ex. gr. in machina humana in-

fir

finitae pene sunt partes affabre inter se contextae, quarum quaelibet suum habet finem, & ad quem factam esse aperte intelligimus, omnes vero communem unum. Universa hominis machina temperata est ad vitam humanam efficiendam, & conservandam: is est omnium partium, quibus ea constat, communis finis. Itaque omnes ejus partes ita constructae, & dispositae sunt, ut hanc vitam conficere, & conservare possint. Nempe homo vivere nequit nisi anima, quae vitae est principium, omnes corporis portes ordinatissime moveat. Ut vero motiones istae ordinate fiant, necesse est, ut singulae hominis partes ad motus suos aptae sint, atque ita aliae cum aliis contextae, ut hos motus aptissime continuare possint. Jam ita dispositae sunt, ut nihil aptius, & consonantius excogitari possit. Nervi totam machinae harmoniam, & structuram faciunt, ac continent, iique omnes ex uno fonte, id est, cerebro derivantur. Venae, & arteriae, aliaque vasa ductandis liquoribus per totam machinam aptata sunt. Fibrae eorum vasorum, & omnium solidorum prima elementa quan-

tâ

tâ cum arte constructae? Sed, & singulis prope partibus tributi sunt musculi, & fibrae motibus conficiendis consentaneae, veluti totius machinae elateres quidam. Ossa machinam sustinent, ne collabatur. Quantâ item cum arte ex membranulis generata? Ne vero motibus officiant, non uno continuo corpore continentur, sed in partes secta sunt, ac ligamentis conjuncta. Oculi, aures, & alia organa sensoria excipiendis impressionibus rerum externarum facta sunt idonea. Cor impellendo sanguini aptum: Pulmones aeris excipiendo: Ventriculus excipiendis, & concoquendis cibis: Lien, & Jecur bili praeparandae, quae imprimis digestioni necessaria est. Tum, aptata intestina ad excernenda superflua nutritioni. Jam verò quanto cum artificio constructae, ac dispositae glandulae? His vero partibus infinitae aliae minores, ac minores inserviunt, ut nulla omnino sit in corpore humano pars, quae non ad communem vitae finem spectet. Ac idem constat de omnibus individuis viventibus, brutis plantis, herbis. Coecus autem sit, oportet, qui non videat, totam hanc rem

si

sine cura sapientissimi Numinis fieri non posse. Sed omnino legendi sunt Niewentit., & Derham, qui copiosissime hanc rem explicant.

CAPUT II.

De illis Dei attributis, quae ei, ut enti, conveniunt.

PRoprietates Dei solent ad tres classes referri, ut nempe aliae sint quae ei convenniunt, tanquam *enti*: aliae vero tanquam *enti independenti*: aliae tanquam *spiritui*. Nos in hoc capite proprietates primi, & secundi generis attingemus, ac quidem ideis nostris consentaneae. An enim ullâ de re quidquam sciremus, aut diceremus extra ideas humanas? Illa nostra scientia, quaecumque, & quantacumque est, continetur. Id quod moneo, ne ita superbiamus, ut humano intellectu Deum metiri confidamus.

Prop. VIII. Deus est immutabilis. D. Deus est substantia aeterna, independens; ergo (per prop. 15. 1. p.) Deus est immutabilis. Ac vero Deus ut habet in se

totam rationem sufficientem suae existentiae, & quidem aeternam, & necessariam; ita habet in se rationem sufficientem suae conservationis, ac aeternam item, & necessariam. Praeterea Deus est infinite perfectus (ex prop. 3.) ergo est quidquid esse potest; est autem infinite perfectus ab aeterno, adeoque necessariò; ergo ab aeterno, & necessariò est, quidquid esse potest. Jam quod ab aeterno, & necessariò est, quidquid esse potest, ab aeterno, & necessariò est immutabilis, ergo Deus eâdem naturae necessitate, qua existit, est immutabilis.

Scholion. Et quidem Deus est immutabilis secundum omnes proprietates. Nam qua naturae necessitate est, eâdem est, quidquid est. Quare in Deo nec modificationes ullae sunt, seu varii existendi modi, nec qualitates, seu limitationes essentiae, & attributorum.

Prop. IX Deus est simplicissimus. D. Deus est incorporeus (ex prop. 2.), & immutabilis (ex prop. 8.); non esset vero nec incorporeus, nec immutabilis, si essent compositus, Deus ergo simplicissimus est.

Scho-

Scholion. Nulla ergo in naturâ Dei compositio est physica, quia partibus separabilibus non constat. Sed metaphysica, ut Dei attributa formaliter ex naturâ rei distinguantur, ut opinantur Scotistae non videtur his argumentis refelli posse. Nam utcumque sit simplicissima, & una Dei natura; fieri non posse videtur, ut non solum physice, verum etiam metaphysice *intellectus*, & *voluntas*, *potentia*, & *immensitas*, &c. idem sint; quia esse unum, idemque metaphysice nihil est aliud, nisi *ontologice*, id est, ut harum proprietatum ideae naturâ suâ inter se non distinguantur. Ac Thomistae quidem docent, has proprietates *virtualiter*, seu cogitatione, sed cum *fundamento in re*, ut aiunt, distingui. Distingui autem *formaliter ex natura rei*; id est, metaphysice, & ratione cum fundamento in re, non admodum mihi distare videntur.

Prop. X. Deus est immensus. D. Deus non habet modificationem existentiae (ex prop. 8.): haberet autem, nisi esset immensus, id est, ubique praesens.

Scholion. Cavendum autem est, ne immensitatem Dei velut infinitam extensionem for-

formalem accipiamus: hujusmodi enim extensio formalis, quae major est tota, quàm quaelibet ejus pars, quaeque habet partes extra partes realiter distinctas, cum naturâ Dei simplissimâ pugnat. *Deus*, inquit S. Augustinus, *non mole, sed virtute magnus est.* Qua autem ratione se habeat haec immensitas, difficile dictu est, nisi quis impossibile brevi humanae rationi dicere maluerit Vide Elementa ad hunc locum.

CAPUT III.

De proprietatibus Dei spiritualibus, ac primum de Physicis

Prop. XI. DEus infinitam habet scientiam simplicis intelligentiae. D. Scientia simplicis intelligentiae est comprehensio possibilium, ut possibilium (ex defin. 2.) Deus autem ominia possibilia, id est, infinita comprehendit, quum eorum omnium in sua essentia, potentia, & intelligentia rationes sufficientes contineat (ex prop. 42. 1. p.); ergo infinitam habet scientiam simplicis intelligentiae, id est, nullum est possibile, quod ab aeterno non intelligat.

pos-

Praetereà constat combinationes omnes possibilium substantiarum isse infinities infinitas: eae autem debent esse omnes ab aeterno praesentes divinae intelligentiae: nam si non sunt, scientia Dei minor est suo objecto, ac propterea finita; non ergo proprietas Entis necessarii (prop. 21. p. part.) Deus ergo non est Ens necessarium: est autem ens necessarium (ex super.) ergo ejus scientia est objecto cognito aequalis, ac propterea infinita.

Prop. XII. Deus intelligentiâ suâ omnia mundi entia comprehendit, non solum ismultania, verum etiam successiva, quacumquè mundus patet, & quousquè perdurat. D. Nam mundus a Deo factus est (ex p. 5.), ergo ejus voluntate factus est: id est, ea possibilia, ex quibus mundus in tota sua duratione confici debebat, suâ voluntate determinata sunt, ut aliquando essent. Quum autem fieri nequeat, quin Deo tota sua voluntas sit semper praesens; fit, ut in sua voluntate omnia futura mundi entia ex eo tempore praeviderit, ex quo voluit, id est, ab aeterno.

Scholion Gravissima fuit in Scholis haec controversia, in quo *medio* futura quum

absoluta, tum libera cognoscat Deus. Fuerunt, quibus placuit, in aeternitate futura a Deo praevideri: haec enim futura alicui aeternitatis puncto coexistere debent: tota autem aeternitas coexistit Deo, veluti puncto indivisibili; ergo in hac aeternitate futura praescit Deus. Exagitat hanc opinionem Petavius velut incomprehensibilem. Itaque receptior ea est opinio, & planior haec futura in aeternis Dei decretis, seu voluntate aeterna praevideri. Possibilia enim de statu merae possibilitatis evadunt futura sola Dei voluntate, id est, aeternis Dei decretis; ergo in his decretis praevidentur. Qui autem haec decreta cum hominum libertate consentiant, aliàs a nobis dictum est.

Quinque solent Divinae Scientiae tribui. Principio Scientia Dei non est qualitas, velut accidens adveniens substantiae, quemadmodum in homine, sed ipsa substantia. *Dei intelligere*, inquit S. Thomas, 1. *p. quaest.* 17. *art.* 4. *ad* 1.; *non est operatio exiens ab ipso operante, sed manens in ipso: adeoque non potest esse, nisi ipsa Dei substantia.*

II. Deinde scientia Dei nequaquam ex

re-

rebus ipsis hauritur, sed ex sese, & naturâ suâ, & in se ipso Deus omnia cognoscit. Id sequitur ex primo: nam quum scientia Dei sit ipsa Dei substantia, non potest extrinsecûs hauriri.

III. Tum Dei scientia unica, & simplex est, non multiplex, qualis est nostra. Nam est ipsa Dei substantia unica, & simplex.

IV. Praetereà mutabilis, & variabilis esse nequit, ut mutabilis, & variabilis esse nequit Divina substantia.

V. Tandem Divina scientia prima est rerum omnium causa. Nam res omnes, quemadmodum in prima parte demonstratum est, priusquam a Deo extra se procreentur, in se, & naturá suâ, atque ab aeterno intelligibiliter creantur. Eleganter S. Augustinus *lib.* 15 *de Trinitate cap.* 13., *universas*, inquit, *creaturas suas spirituales, & corporales, non quia sunt, ideo novit Deus: sed ideo sunt, quia novit.*

Prop. XIII. Nihil Deus efficit extra se, nisi voluntate, & quidem liberâ. D. Nihil Deus efficit extra se vi extrinseci, & antecedentis fati impulsus, quando-

quidem nullum est hujusmodi aeternum fatum extra Deum (ex prop. 14 p. 1.): nec quidquam efficit naturae suae necessitate motus, id est, fato Spinozistico, vel Stoico (ex prop. 99. & 102. 1. p.); ergo nihil efficit extra se, nisi sese ipse liberrime determinans.

Scholion. Ac vero quum Deus si aeternus, & independens, & per se perspicuum, a nulla externa causa cogi posse. Jam nec a naturae suae necessitate potest impelli: nam tota Dei natura in se est, & in se velut in perfectissimo voluntatis suae objecto quiescit. Quid ergo? impelletur ne ille a possibilium ideis? Sed quum possibilia haec nullam habeant ab aeterno realem existentiam, sed tantum idealem; nec habeant essentiam, & bonitatem infinitam; nequent naturam infinitam necessariò promovere. Scilicet actio pulchri, & boni finiti respectu infinitae naturae est reciproce, ut natura infinita ad finitam, id est, infinite parva. Itaque nullâ ex parte haec in Deo necessitas fingi potest.

Caeterùm cavendum est Philosopho, ne ex notionibus voluntatis, & libertatis nostrae de voluntate, & libertate Dei dis-

serat. Meminerit egregii illius Augustini *in lib.* 2. ad Simplicianum *quaest.* 2. *Multa divina iisdem nominibus, atque humana appellantur; quum incomparabili deversitate sejuncta sint.* Sunt autem voluntatis nostrae quidam defectus, ac vitia: Ex. g. quòd non omnia simul velimus: quòd non eadem semper: quòd bonum apparens plerunque vero bono praeferamus: quòd interdum suspensi haereamus: & alia, quae in nobis proveniunt partem ex imbecillitate rationis, partim ex naturae nostrae mutabilitate, atque vi, & imperio affectum. Quum autem Dei ratio sit perfectissima, natura vero immutabilis; ea nequeunt in Deo locum habere.

Prop. XIV. Deus est potentissimus. D. Primus Deus est quidquid esse potest, & quidem eâdem naturae necessitate, qua est: quum autem sit ens actuosum, & potens; sequitur eâdem necessitate naturae esse infinite potentem. Secundò in Deo esse debet ratio sufficiens eorum omnium, quae fieri possunt; haec autem est omnipotentia (def. 3.) Deus ergo omnipotens. Tertiò haec rerum universitas a Deo facta est (ex prop. 5.), idque nullis machi-

chinis, sed solâ voluntate; ergo Dei potentia, & voluntas sunt unum, idemque; ac proinde Deus potest efficere, quidquid vult. Quum autem possit vele, quaecunque esse possunt; sequitur, eum efficere posse quaecunque esse possunt. Ea autem est omnipotentia; Deus ergo est infinite potens.

Scholion. Solent hoc in loco duae quaestiones agitari. Prima *an Deus efficere possit plura, quàm efficit*? Altera, *facerene mundum possit meliorem*? Fatalistae utrumque negant, quippe qui sibi persuasere totam Dei potentiam in actu esse, nec posse proinde plus, quam effecit. Sed manifestis rationibus revincuntur. Primum Dei potentia unum, idemque est cum Dei voluntatte (ex prop. sup.): est autem Dei voluntas libera, nec proinde tota in actu (ex prop. 15.); ergo ne Dei quidem potentia est tota in actu. Deinde si Dei potentia tota esset in actu, objectum quoque Divinae potentiae totum esset in actu, nec prohinde ulla esset successio entium in universo. Ad hoc quodlibet ens esset totum id, quod per divinam potentiam esse posset, id est, ei

ac-

aequale; effectus enim potentiarum necessariarum sunt illis aequales; at hoc esse falsum singularum rerum natura satis docet. Tandem dato uno possibili, possibilia sunt infinita similia. Si tota divina potentia esset in actu, necesse esset simul existere, quidquid possibile est, adeoque infinities infinita rerum genera, infinities infinitas singulorum generum species; infinities infinita singularum specierum individua, id quod pugnans est: quia in infinities infinitis possibilibus sund infinita incompossibilia.

Quod pertinet ad alteram quaestionem, distinguendum est inter perfectionem, quae desumitur a fine, atque ordine ad finem, & perfectionem, quae dimetitur ab intensitate propietatum rebus intrinsecarum. Primo modo accepta perfectionis voce, mundus non potest fieri perfectior, id est, talis, qui magis creatoris sui fini respondeat. Nam quum Deus sapientissimus, & potentissimus sit, quidquid efficit, fini suo plene respondet. Contra vero secundo modo samptâ voce perfectionis, mundus hic, in quo sumus, perfectior fieri potest: nam quoniam proprietates intrinsecae

cae

cae singulorum mundi hujus entium, numero, & intensitate finitae sunt, concipi, & esse possunt majores, & perfectiores. Vide Dissertationem de Dei beneficentia, & origine malorum ad calcem capitis 4 operis majoris.

Prop XV. Deus non potest moraliter efficere, quod suis attributis, praesertim bonitati, & sapientiae adversatur. D. Deus est ens simplicissimum, & immutabile (ex prop. 9.); ergo nullum ejus attributum alteri adversari potest: quare ejus voluntas, & potentia non possunt esse contrariae ejus sapientiae, bonitati, sanctitati, justitiae, caeteris; nec proinde ea efficere, aut velle, quae his attributis adversantur.

Schol. Haec. propositio supponit *essentias* rerum, ac proinde rerum *differentias*, esse a Dei intellectu, non a Dei voluntate, id quod nos in *prima parte* demonstravimus. Quum autem sint, qui *essentias* rerum, ac proinde rerum *differentias*, a Dei voluntate derivent, ii coguntur fateri nihil esse possibile, quod tam physice, quam moraliter fieri nequeat a Deo. Sed haec opinio non solum omni ratione des-

destituitur, verum apta est fundamentis Religionis convellendis, ac Scepticismo inducendo.

Prop. XVI. Deus est providentissimus. D. Cunctae quae sunt, a Deo sunt facta, & ordinata ita, ut mundus hic sit magnum sistema ex parvis aliis compositum, & mirifico ordine digestum. Eodem vero ordine, quo sunt facta, perpetuo conservantur, & quidem singulorum praescientia, quemadmodum superius demonstratum est. Ea autem est providentia (ex def. 4), Deus ergo providentissimus; id est, nihil in universo contingit nec magnum, nec parvum, sine ejus praescientia, & cura.

Scholion. Confirmant id non sistemata modo Planetaria, quae semper eodem ordine, iisdemque legibus conservantur, quin in tanta vetustate, quidquam unquam mentita sint; sed res naturae singulae, quarum nulla est, quae non sit velut machina ex alliis machinulis mirifice contexta ita, ut singulae machinulae ad communem quendam finem factae intelligantur, ad quem pergunt constanter, & quem consequuntur, quod sine directione supremae mentis,

tis, nec esse, nec consipi potest. Vide Dissertationem ad calcem capitis primi operis majoris.

CAPUT IV.

De attributis Dei moralibus, & de origine mali.

Prop. XVII. DEus nullis affectibus animalibus, id est, naturae commotionibus vehementibus, obnoxius esse potest. D. Sunt enim hujusmodi affectus argumentum naturae mutabilis, & alicujus externi boni indigentis, id est, non infinite perfectae (ex prop. 64 p. 2.); est autem Dei natura immutabilis, perfectissima, & sibi ad beatitudinem sufficientissima (ex supra demonstratis; hujusmodi ergo affectibus minime est subjectus.

Scholion. Dixi *affectus animales*: nam utcumque minus proprie, duo tamen genera affectuum distingui possunt, ut alii sint naturae commotiones, quos brevitatis gratiâ *animales* voco, quia proprii sunt naturae animalis: alii rationis decreta, immota natura, ex quibus praemia, vel poe-

nae

nae consequantur, quod *rationales* idcirco appello. Qua de re dictum est in Definitionibus secundae partis. Quod praecipuae *affectus animales* a rationalibus distinguit, est, quod illi saepe praeter rationem excitantur, & saepe contra omnem animi rationem; hi virgulâ rationis ita reguntur, ut ex ea ne latam lineam exorbitare possint, quin statim desinant esse rationales.

Prop. XVIII. Deo tribui possunt *affectus rationales*. D. Nam Deo tribuenda sunt decreta, quibus aut virtutem remuneratur, aut vitia punit: eum autem haec decreta sint *affectus rationales*; sequitur posse Deo tribui affectus rationales.

Scholion. Cum igitur in divinis Scripturis Deo tribuitur amor, misericordia, ira, odium, zelotypia, dolor, poenitentia, & alii affectus, his vocabulis non sunt intelligendae commotiones naturae, sed decreta rationis, immota natura. Quare amor, & misericordia sunt voluntas Dei, qua bona sua creaturis rationalibus communicare statuit. Ita est ejus decretum puniendi: dolor, & poenitentia decretum res commutandi. Nam

Scri-

Scriptores divini, ut intelligi possent, non linguam divinam, sed linguam humanam adhibuerunt.

Prop. XIX. Omnes Dei affectus sunt veri. D. Affectus falsi sunt ii, quorum aut objecta nulla sunt, nisi in imaginatione, aut iis affectibus majora, vel minora (def 20. 2. part.); ergo sunt falsi, quia falsâ ratione excitantur, & foventur. Quum autem Dei intellectus infinitus sit, ac objecto suo plene conformis (*ex superioribus*), fit, ut nulla esse posse in Deo causa falsorum affectuum; ac proinde, ut omnes ejus affectus sint veri.

Corol. Hinc fit, ut eodem perstante objecto, eâdemque ratione, iidem persent & immutabiles Dei affectus, amor, odium, misericordia, &c. Ac proinde nemo sibi adulari potest, ut nisi mutato animo, Dei affectus commutetur. Quum autem commutari dico, linguam vulgarem loquor, non Mataphysicam: nam certum est nihil in Dei natura esse mutabile: sed totum id ad affectus immutabilis alioquin divinae voluntatis referendum est.

Prop. XX. Quum Deo tribuuntur virtutes morales, nequeunt ei tribui ex rerum nostrarum ideis, sed eminentissimo modo, id est, naturae infinitae, & immutabili consentaneo. Scilicet virtutes in hominibus ex oppositione vitiorum, seu turbae affectuum, vel ignorantiae, aestimantur; justitia ex. gr. ex injustitia: fortitudo ex imbecillitate: patientia ex animi impotentia: bonitas ex malitia: prudentia ex imprudentia: &c. Praeterea virtutes nostrae actuum exercitatione acquiruntur. Tum nunquam perfectissimae, & immutabiles sunt. Postremo non sunt aliud nisi qualitates, quae naturales naturae facultates, praecipue intellectum & voluntatem, perficiunt, & ad beatitudinem formant; quae locum in Dei natura habere nequeunt; ergo virtutes nequeunt Deo tribui cum iis notionibus, quas inter nos habent, sed eminentissimo modo, ut nihil sint aliud, nisi naturae dotes, perfectiones, attributa tamen aeterna, & immutabilia, cum ejus essentia.

Prop. XXI. Deus non potest velle miseriam creaturarum rationalium; quin mereantur. D. Velle miseriam creaturarum

ra-

rationalium, quin mereantur, aut irae, aut odii, aut malignitatis, aut alterius falsae perturbationis est; talia vero in Deum non cadunt, quum sint affectus animales, & falsi (ex prop. 17); ergo Deus nequit velle miseriam creaturarum rationalium, quin ipsae mereantur.

Prop. XXII. Deus vult creaturarum rationalium beatitudinem. D. Deus curam habet universi (prop. 16.); singulas ergo res ad fines naturae suae consentaneos destinat: quum autem creaturarum rationalium finis sit beatitudo, quippe quam natutrae ipsius instinctu sequuntur, efficitur, ut ad beatitudinem destinet. Præterea Deus non potest velle creaturarum rationalium miseriam, nisi illae mereantur (ex prop. 21.); ergo quoniam eas efficit beatitudinis appetentissimas, vult profectò earum beatitudinem,

Prop. XXIII. Deus non potest efficere creaturas rationales infinite perfectas, adeoque malum metaphysicum, id est, deficientia a summa perfectione, necessariò creaturis adhaeret. D. Infinite perfectum est necessarium existentiae, & essentiae (ex prima parte); quum ateum

crea-

creaturae eo ipso quod sunt creaturae, sint entia contingentia; est impossibile intrinsecum, ut sint entia necessaria existentiae, & essentiae. Quum vero Deus nequeat efficere impossibilia intrinseca, quia non sunt capacia existentiae; sequitur non posse efficere creaturas rationales infinite perfectas; ac proinde malum metaphysicum necessariò rebus creatis adhaerere.

Prop. XXIV. Creaturae rationales ut possint recte suum finem persequi, indigent lege morali. D. Nam quum esse nequeant infinite intelligentes (ex prop. sup.), & sint *essentialiter* liberae (ex demonstratis in secunda parte) sine certa, & constante regula, id est, sine lege morali, aberrare possunt a suo fine.

Corollarium I. Quemadmodum ad perfectionem rerum corporearum pertinent leges mechanicae, quibus ordo mundanus continetur; ita leges morales sunt adnumerandae inter perfectiones entium rationalium. Enimvero spectant perfectionem facultatum rationalium.

Corollarium II. Quum creaturae rationales naturaliter exigant legem moralem,

qua

qua recte suum finem petant; nec vero lex moralis utilis esse possit sine sanctione paenali; sequitur providentiae divinae esse, creaturas rationales lege morali regere, & sanctione poenali aut deterrere a legis violatione, aut punire, si violaverint.

Corollarium III Poenae naturales, quibus homines affliguntur in hac vita, sunt dolores. Quum vero hi dolores nascantur ex ordine mundi corporei; intelligitur concentus duorum mundi ordinum *mechanici*, & *moralis*. Mechanicus morali servit.

Prop, XXV. Deus est bonus, & beneficus. D. Deus ominium, quibus constat universum, curam gerit, presertim hominum (ex prop. 16.); quorum hominum non solum non vult miseriam, sed vult beatitudinem (ex prop. 21. & 22.), eosque lege morali, qua illi indigent, regi (ex p. 64. p. p.), quae ad eorum perfectionem pertinent (prop. sup. coroll. 1.); quae omnia demonstrant Deum esse beneficentissimum.

Scholion. Sed quaeritur, quum Deus sit bonus, & beneficus, sapientissimus quo-

quoque, & potentissimus, unde mala originem ducant? Leibnitius tria malorum genera fecit: *metaphysicum*, *physicum*, *& morale* Metaphysicum est deficientia a summa perfectione: Morale est legis transgressio, seu peccatum: Physicum tandem sunt dolores, cùm animi, tùm corporis. Horum omnium malorum causae sunt in ipsà finitâ hominis naturâ, quod sequentibus propositionibus ostendam.

Prop. XXVI. Mali metaphysici origo in naturâ ipsa creaturae inest; nec propterea officit divinae beneficentiae. D. Nam malum metaphysicum est deficientia a summa perfectione: summae autem, id est, infinitae perfectionis, creaturae capaces non sunt, tum quia sunt entia dependentia, tum quia sunt partes universi inter se concatenatae, quarum idcircó nulla potest esse infinitae perfecta, quin statim desinat esse pars. Ergo in earum naturâ positum est cur eas infinite perfectas Deus efficere nequeat: quare malum metaphysicum non pugnat cum Dei bonitate. Quin quum tantó majus beneficium sit qualemcunque entitatem

habere, quam nullam, quantò majus bonum est esse, quam non esse: fit, ut craeaturae etiam non infinite perfectae magnum sint argumentum Dei beneficentiae.

Prop. XXVII. Mali *moralis* origo in natura entium rationalium finitâ, ejusque libertate posita est, nec pugnat cum Dei sapientiâ, & bonitate. D. Quoniam enim nulla caeatura infinite perfecta esse potest, adeoque ei malum metaphysicum necessariò adhaeret (ex prop. 23), fit necessariò, ut omnis creatura rationalis errori subjecta esse possit, adeoque ut lege morali indigeat, qua possit recte finem suum persequi (ex prop. 24.), hujus ergo legis promulgatio inter maxima Dei beneficia connumeranda est. Jam creaturae rationales, ut sunt essentialiter liberae, ita adversus vitae regulam beneficentissime eis a Deo datam agere possunt. Quum autem hoc sit malum *morale*; sequitur mali moralis originem in ipsa creaturarum rationalium natura esse positam, salvâ Dei sapientiâ, & beneficientiâ.

Prop. XXVIII. Natura animalis nullius

vo-

voluptatis gestientis esset capax, nisi doloribus corporeis esset obnoxia D. Nam demonstratum est in 2. p. voluptates gestientes non prius in nobis gigni, quàm corporei dolores ex perturbata machinae harmonia proficiscentes praecesserint. Quare si earum perturbationum natura animalis capax non esset, ne voluptates quidem gestientes persentiscere posset.

Prop. XXIX. Sed nec aequabiles ipsae animi voluptates magni essent pretii, nisi harmonia eadem perturbari posset. D. Nam hujusmodi voluptates item, ut ibidem monuimus, saepe machinae harmoniam sequuntur, nec animadvertuntur, nisi perturbatio aliqua praecesserit. Fit igitur, ut, quemadmodum se hodie habet natura nostra, nullius voluptatis capaces simus, nisi simus doloris.

Prop. XXX. Generatim voluptas necessaria est ad animantium quum genera, tum individua conservanda. Principio sine veneris voluptate, ut sunt nunc animantia, nullum animal gigni potest. Tum sine voluptate ejus amoris, quo erga partus suos animantes omnes feruntur, vix ullum esset animal vitale. Jam sine volup-

late gulae nullum individuum conservari posset. Praeterea sine ea voluptate, quam quisque persentit suae existentiae conscius, vitam omnes animantes sponte suâ projicerent. Generatim ergo voluptas necessaria est ad animantium genera, & individua conservanda.

Prop. XXXI. Natura capax doloris necessaria est ad animantium genera, & individua conservanda. D. Nam ad haec genera, & individua conservanda necessaria est voluptas (ex prop. super.): nulla vero animantia hodie voluptatis capacia essent, nisi essent dolori subjecta (ex prop. 30.) ergo, ut genera, & individua animantia conserventur, necessarium est, ut sint dolori subjecta.

Prop. XXXII. Ea *physica* mala, quae ex naturâ nostrâ proficiscuntur, sunt argumentum Dei sapientiae, & beneficentiae. D. Nam ea ad nos conservandos sunt necessaria (ex prop. supr.)

Prop. XXXIII. Mala *Physica*, quae nobis a causis extra nos positis accedunt, sunt argumentum Dei erga nos beneficentiae. D. Mala isthaec sunt media, quibus Deus nos revocat a nimio praesen-

tis

tis vitae, ejusque bonarum amore, quo amore fit, ut aeterna bona contemnamus, & legem sensuum legi rationis praeferamus: sunt aut praeparationes ad virtutem, ut non peccemus; aut justae punitiones, quia peccavimus: est enim ex humanâ historiâ exploratum, nullam esse virtutis scholam utiliorem quam mala, nec capitaliorem pestem virtutis, quam perpetuam vitae prosperitatem; *miseriae tolerantur, felicitate corrumpimur*, inquit Tacitus; ergo mala *physica* sunt media, quibus Deus utitur ad nostram perfectionem, & felicitatem faciendam, adeoque argumentum Dei erga nos beneficientiae. Vide appendicem ad hoc caput in Elementis.

CAPUT V.

De Religione, quae Deo debetur, generatim disseritur.

Prop. XXXIX. DEo debetur perfecta religio. D. Perfecta religio est cultus summi amoris, summi obsequii, summaeâ servitutis, ei exhibitus, cui naturâ ipsa de-

debetur (ex def. 5.): Deo autem debetur summus amor, quum sit summe bonus, & beneficus (ex prop. 25.); & summum obsequium, atque summa servitus, quum sit omnium absolutus Dominus jure creationis, & conservationis (ex prop. 5.); ergo Deo debetur perfecta religio.

Scholion. Quaeret hic fortasse aliquis, cur hanc religionem Deus a nobis exigat, poenasque acres minetur, nisi praestiterimus, & quidem incorrupte, & sancte? Quum Deus sit ens perfectissimum, sibique ad beatitudinem sufficientissimum, nec rerum nostrarum indignum, profecto ob nullam suam utilitatem, obedientiam, & religionem ab hominibus exigit; sed exigit, tum quia necessaria, & utilis nobis, *Nobis enim prodest colere Deum non ipsi Deo*, S. Aug. q. 3. ad Paganos tom. 3. tum quia mundanus ordo id exigit, ac nostra ab eo dependentia. Ac vero etiam si ille non exigeret, praestare tamen illi deberemus: primum quia id postulat relatio nostra cum Creatore nostro sapientissimo, & optimo; deinde quia ob infinita ejus in nos beneficia illi debemus.

Prop.

Prop. XXXV. Religio est homini necessaria, & utilis. D. Primùm sine religione homines tranquille in hac vitâ vivere nequeunt. Nam homines vivunt tranquille, quum ex rectâ vivunt vitae regula, quum officia cuilibet debita praestant, quum in prosperis rebus aliquo timore continentur, ne diffluant, & lasciviant; in adversis vero tutum habent perfugium: ergo indigent regula, quâ haec omnia scite agere possint. Ea regula quum a natura promulgatur, a naturae ipsius Gubernatore supremo, *naturalis*, religio dicitur: quum vero promulgatur via prophetiae, religio *revelata* appellatur. Sublata ergo omni religione, quoniam Deus quoque, ejusque providentia auferatur, necesse est; his vero sublatis, ne leges quidem ullae esse possunt, nisi quas utilitas imperat: nulla esse potest justitia, sed id est justum, quod validius. Ita fit ut homines brutorum vitam vivant, ut id justum, & honestum habeant, quod fames, quod libido, quod ira, quod vis imperaverit. Est autem quisquam, qui in hac ferarum societate se posse esse tutum, & tranquillum putet? Intellexere id Legislatores

omnes: nullus enim eorum fuit, qui Religionem, tanquam fundamentum suae Legislationis non posuerit. Probant id veterum Graecarum legum exordia. Probat antiquissimum populorum Scitum, *a Jove Principium*. Vide Warburton *Dissertations sur l'union de la Religion, de la Morale, & de la Politique.*

Deinde quoniam mens humana est immortalis, quemadmodum demonstratum est in secunda parte; sequitur nos non hujus tantùm vitae felicitatem spectare debere, sed alterius, & aeternae potissimùm; ergò scire, & agere debemus ea, quae nos ad plenam illam felicitatem perducere possint. Id autem nos docet religio.

Corolarium I. Religio, de qua disserimus, soli Deo debetur. D. Nam debetur ei, qui summo amore, summo obsequio, summâ servitute est dignus: is autem est solus Deus, quandoquidem is tantum est summe bonus, summe perfectus, summe Dominus.

Corollarium II. Interim hoc nihil prohibet, quo minùs Angelos, aut Sanctos viros Deo ob virtutum merita charissimos

pia

pia veneratione colamus, non quidem ut Deos, in quo errarunt Idololatrae, sed ut Dei amicos. Ex hoc porro corollario sequitur criminis laesae magestatis divinae esse illos reos, qui perfectissimum hunc cultum alteri, quâm Deo, tribuunt.

Corollarium III. Omnis religio, in qua aut summus animi cultus, id est, maximus; cujus est homo capax, Deo non tribuitur: aut plures Dii aequales coluntur; aut in qua non recte de Deo sentitur; aut modis absurdis, minimeque naturae cultae, & colenti consentaneis, Deus colitur; falsa est. Patet ex superioribus. Hinc sequitur Ethnicam, & Mahumedanam religionem falsam esse. Vide quae pluribus super ea re dicta sunt in Metaphisicae Elementis hoc in loco.

Corollarium IV. Atheismus est hominis adversùs supremum mundi imperantem perduelio, isque pugnat & cum naturâ rerum, & cum hominis ipsius naturâ. D. Nam Deus (prop. 6.), mundi artifex (propos. 5.) & providentissimus gubernator (prop. 16.); existit, nolle ergo eum agnoscere, est supremi Imperantis detrectara velle imperium, &

per-

perduellio scilicet; quod erat primum.

Jam Natura rerum & Deum esse ostendit, & omnia ejus imperio parere. Quum autem hujus rerum universitatis pars sit homo; opportet, ut ondine totius sequetur. At Atheus ab eo desciscit; itaque cum natura rerum pugnat Atheismus.

Tum religio est homini necessaria, & utilis (prop. 35.); quum ergo Atheismus religionem respuat, fit, ut cum ipsâ hominis naturâ pugnet.

Sed & pugnat cum gratitudine; nam ex omnibus telluris hujus rebus nulla est, quae sublimiùs locata sit, quaeque majora a Deo beneficia acceperit. Quum igitur ingratum est gratiam nolle referre, tum ingratissimum ne agnoscere quidem velle. Siquidem, ut praeclare disputat Seneca, major ingratitudo est oblivisci beneficiorum, quàm negare gratiam.

Corollarium V. Atheorum Resp. est perduellium; Civitas sine ullo vero civitatis vinculo, in qua nec justitia esse possit, nec humanitas. D. Nam quum animi humani sint & utilitatis suae nimiùm cupidi, & meritorum suorum non justi

aes

aestimatores, & superbi, id est, non modo superioris, sed ne paris quidem patientes & facile irritabiles, & irritati omnium animantium truculentissimi, & subdoli, & struendarum insidiarum summi supra cetera animantia artifices; ii, nisi interno vinculo cohibeantur, & colligentur, praesto sunt turbare omnia, & a mutua societate desciscere. Intellexere id, ut iterum dicam, Legislatores omnes, qui legum suarum nullum firmius fundamentum existimaverunt esse posse, praeterquam religionem: sublata ergo religione, quò animi hujusmodi intimiùs concutiuntur, & sic disponuntur, ut conjungi apti sint, nullum esse aliud potest Civitatis nec fundamentum, nec vinculum.

Jam leges civiles sunt veluti ramusculi, & propagines ejus legis, quae cum animis nata est; quam ubi deleveris, nullam, nisi precariam, vim habere possunt: sublata igitur religione, ne justitia quidem ulla inter homines esse potest. Postremò nulla esse inter homines humanitas potest, nisi animi humani cupiditatem illam utilitatis suae, ac superbiam moderentur, ac parati sint de suo esse benefici.

Id

Id fit dum reputant, & omnes naturâ esse aequales, & ab eodem patre prognatos, ac fratres propterea esse: esse vero in hac tellure tanquam in hospitio, ut summam sui felicitatem hic adipisci nequeant. Totum autem hoc nisi religio efficiat, quae in succum, & sanguinem convertatur, nulla certe alia res potest. Nam extrinsecae poenae timorem ingenerare possunt, eumque, dum ne natura magnis affectibus agitetur: sed amorem, & humanitatem impertiri nequeunt.

Corollarium VI. Politichismus, & , ut dicitur, Machiavelismus, & cum natura pugnat, & nullum habet in historia ipsa humana fundamentum. Primum: religio a natura ipsa imperatur, tamque est nobis naturalis, quàm conscientia nostrae imbecillitatis, & dependentiae a prima mundi causâ; non igitur commentum est Politicorum ad homines in obsequio legum continendos. Alterum: Vetustissimi Legislatores receptâ inter suos religione usi sunt ad leges firmandas, ut tota vetus historia demonstrat; religio ergo antiquior est Legislatione. Confirmat id, quòd Nationes sine imperio civili, ac sine legibus

ci-

civilibus deteximus plures in utraque continente: sine ulla religione nullas. Religio ergo non est Legislatorum commentum.

Corollarium VII. Hippocrisismus & gravissima est in Deum injuria, ac velut supremi illius imperii derisio; & societati perniciosissimus. D. Primùm: Hippocrita religionem simulat, non habet; ergo & animo perduellis est; eoque Deum, ejusque imperium susque deque habet. Quum vero habere simulet, quod in animo non habet, is Deum díridet, eique quasi insultat; quam gravissimam esse injuriam ecquis ambiget?

Alterum: Religio simulari nequit, nisi utilitatis & voluptatis causâ: Hippocrita igitur religionem, veluti instrumentum suae utilitatis, & voluptatis habet. Quum autem hoc instrumentum sit omnium potentissimum ad animos humanos commovendos, quippe summus omnes naturâ religionis reverentissimi; fit, ut Hippocrita omnium potentissimo instrumento abutatur ad suas cupiditates, & voluptates explendas. Quod quam labem in societate efficere potest, nemo est, qui ipse per se non videat.

Co-

Corollarium VIII. Superstitio & Deo injuria est, & hominibus late noxia D. Nam superstitio est religio falsa (def. 6.): falsus autem cultus nec naturae Dei consentaneus est; nec hominis. Itaque quòd a Dei naturâ dissidet, Deo est injuria: & quòd cum hominis naturâ non convenit, duplici ex causâ est noxia: nam & presentem vitam turbat, ac mille modis aegram, & miseram, efficit, id quod tota humana historia docet; & ab altera revocat.

CAPUT VI.

De Religione Naturali, & de necessitate Revelationis.

Prop. XXXVI. RElígio naturalis vera quidem est, minime tamen sufficiens. D. Prima pars. Religio naturalis tum quod ad theoricam partem, tum quod ad practicam, nihil docet, nisi quod recta ratio omnibus hominibus patefacit: ergo vera est. Hujus argumenti antecedens

dens propositio hunc in modum demonstratur. Religio, quam naturalis ratio omnes docet, in theoricâ parte haec continet: I. existere mentem quandam aeternam, & Perfectissimam: II. eam esse incorpoream, atque immutabilem: III. esse omnisciam, & sapientissimam: IV. potentissimam, atque universi creatricem, & conservatricem: V. optimam, & beneficam: VI. providam, & remuneratricem, bona bonis, mala malis retribuentem: VII. animas humanas esse immortales, adeoque superesse alteram vitam, in qua possint esse beatae, vel miserae: VIII. esse in natura legem divinitus promulgatam, ejusque prima capita esse, ut Deum tota mente colamus, ut amemus alios, quippe nobis aequales, nihilque aliis efficiamus, quod adversus nos factum nolimus.

In practica verò eadem ratio naturalis docet, Mentem aeternam, ut Optimam, amandam, & quidem puro, ac sincero amore: ut Dominam, timendam: ut Gubernatricem, invocandam, atque ab ea veram beatitudinem sperandam: ejus legibus obtemperandum, atque idcirco animum

mum nostrum secundum ejus leges perficiendum. Ceteros homines spectandos ut fratres, ac propterea nullam iis molestiam inferendam, sed omni potius officio colendos. Alteram vitam beatam neminem adipisci, nisi vixerit cum perfecta virtute: improbos, & scelestos homines acribus post hanc vitam poenis torqueri.

Haec verò, & plurima alia, quae aut cum his connexa sunt, aut ex his sequuntur, non solùm evidentia sunt, ac propterea vera, verum etiam omnium populorum Theologiâ comprobata, nec cultorum modo, sed barbarorum quoque, quod plures viri docti demonstraverunt. Vide in primis Huetium *de Concordia Rationis, & Fidei lib.* II. Accedit eodèm, quòd eadem dogmata sunt sancta, hominum naturae perficiendae accomodata, societatem humanam foventia: beatitudinem tandem nostram efficere apta; ergo religio naturalis quae haec docet, vera est, & sancta.

Demonstratur secunda pars. Primum: Religio naturalis accurato, & recto usu rationis discitur: non possunt autem

omnes homines hanc accuratam inquisitionem instituere; aut quòd non omnes ea sunt mentis perspicacitate praediti, quae necessaria est; aut quòd ob vitae necessitates non omnes huic studio vacare possunt, non igitur sufficit sed necessarium est, ut religio, quae omnium omnino esse debet, per modum legis omnibus promulgetur.

Secundò ratio naturalis sine revelationis subsidio in hominibus jamdudum moribus depravatis longe aberrare potest a vero. Id exemplo non omnium modo nationum Ethincarum, verum etiam praeclarissimorum Philosophorum comprobare possumus. Quum enim solam naturae rationem sectarentur, ut religionis ducem, in quantam aut impietatem, aut superstitionem non iverunt ratio ergo naturalis ad homines in religione verâ continendos minime est sufficiens.

Tertiò: natura Dei incomprehensibilis est finitae rationi: ergo solâ ratione nec adaequate intelligere possumus quaecunque Deo debemus, nec inter tot possibiles Deum colendi modos extrinsecos quinam sit divinae naturae accomodatior

eique gratior: quare iterum conficitur, ad integram, & veram religionem non sufficere rationem naturalem.

Quartò: Natura humana, quacunque patet tellus, magna corruptionis indicia prae se fert: indiget ergo purgatione. Id intellexere veteres graecae, latinaeque nationes, quae idcircò *Mysteria* instituerunt. Hucusque nec Philosophi, nec Mystae quidquam efficere ad naturam nostram purgandam. A Deo igitur hoc mysterium discere debemus.

Prop. XXXVII. Revelatio est necessaria humano generi, ut exactè ex fine suo vivere possit, atque rectâ ad eum contendere. D. Nam ad hoc necessaria est religio, ut patet ex superioribus: quum autem religio naturalis, utut vera, minime tamen sufficiens sit (ex prop. sup.); conficitur, homines indigere doctrinae a Deo revelatae.

Scholion. Non potest haec propositio luculentiùs confirmari, quàm earum nationum exemplo, quae quoniam hac doctrinâ revelatâ destitutae vixerunt, in errores non solùm perridiculos, verum etiam abominandos lapsae sunt, id quod er-

ego luculenter ostendi in scholio hujus propositionis in opere majori, quem locum consule. Vide & Warburton loco sup. laudato.

CAPUT VII.

De Veritate Religionis Christianae.

REligio Christiana in iis continetur libris, qui veteris, & novi Testamenti dicuntur. In his libris deprehenditur systema praeclarissimum religionis tùm theoreticae, cùm practicae. Ut ergo demonstretur religionem hanc veram esse, & divinam, demonstrandum est, libros novi, & veteris testamenti genuinos esse, veros, & divinos; id quod sequentibus propositionibus efficiemus.

Prop. XXXVIII. Libri novi testamenti genuini sunt. D. Liber genuinus est, qui ab omnibus, qui scriptoris aetatem consequuti sunt, genuinus est habitus. Ita Caesaris Dictatoris Commentarios de bello Gallico genuinos esse non dubitamus, quum & coaevorum, & proxime sequentium aetatum, & aliorum iis succedentium cons-

constante testificatione constet; nam & genuinos agnoscunt Cicero, & Hirtius, ac deinde Strabo: tum Suetonius, & Plutarchus: hinc Grammatici veteres: ac postremo reliqui subinde ad hanc usque aetatem scriptores. Tales autem sunt libri novi Testamenti: nam genuini habiti sunt ab omnibus Apostolos Jesu Christi sequentibus aetatibus ad nos usque, ut constat non tantum ex traditione omnium Christianorum populari, sed ex scriptis etiam nobilissimorum Doctorum Clementis Romani Pontificis, Ignatii, Polycarpi, Papiae, Quadrati, Aristidis, Agrippae, Hegesippi, Justini Martyris, Apollinaris, Irenaei, qui auctores secundo saeculo christiano vixerunt, & Apostollis fuere vicini: Tum Tertulliani, Clementis Alexandrini, Apollonii, Policratis, Origenis, Hyppoliti, Cypriani, Dionisii Alexandrini, aliorumque tertii saeculi scriptorum: Postremò omnium scriptorum sequentium saeculorum, quotquot Ecclesia Christiana habuit: Genuini ergo sunt libri novi testamenti.

Prop. XXXIX. Librorum novi testamenti historia verax est. D. Nam scirpto-

ptores novi Testamenti & multi numero sunt, & coaevi, & domettici, & rerum, quas narrant, testes oculati: tum omnes probitatis characteres prae se ferunt: eorum narrationes nec honorum captandorum gratiâ, nec divitiarum, nec voluptatum fictae esse possunt, quum auctores haec omnià spernerent. Quae autem tales sunt historiae, veraces sunt; verax ergo est historia novi testamenti. Praeterea nihil illi narrant, quod aut magnâ consensione non narretur ab aliis ejusdem, & sequentis aetatis scriptoribus Christianis, judaeis, Ethnicis: aut quod verisimile non sit: aut quod falsitatis argui possit; vera ergo est historia librorum novi Testamenti.

Scholion. Ac vero extitisse Jesum Chirstum, eumque novam doctrinam praedicasse, & Christianorum nomen fundasse, Tacitus quoque, Suetonius, Plinius junior, Josephus Hebraeus, narrant. Miracula Christi Hebraei in Thalmud aperte confitentur, & Ethnici scriptores satis clare indicant, ii praesertim, qui oppugnare conati sunt: Nulla vero historia novi testamenti pars est, quae aliorum

scri-

scriptorum veterum attestatione in dubium vocari possit.

Prop. XL. Vera sunt dogmata librorum novi testamenti. Nam haec dogmata aut cum principiis rectae rationis consentiunt, aut iis non adversantur. Id paucis demonstrabimus. Principio praecipua pars dogmatum, cum nihil sit aliud quàm religio naturalis, cum ratione consentit, & sensu Nationum communi. Ad hanc partem quod attinet, libri novi testamenti docent Deum existere, eumque esse purum spiritum (Joannis 4 versu 23, & 24.): & aeternum, atque immensum (prima ad Timotheum cap. 1 versu 15., & Actorum cap. 18): & unicum (ad Ephesios 4. versu 6.): & bonum, atque beneficum (Lucae 18. versu 19.): & immutabilem, ac immortalem (ad Romanos primo, versu 23., & alibi): & omniscium (ad Hebraeos 6., versu 16., Actorum 15., versu 18): & omnipotentem (Matthei 19. versu 26.): & Creatorem universi (passim in omnibus Libris): & providum conservatorem (Matthei 6., versu 25. & 26.): & justum ita ut peccata puniat, virtutes re-

remuneretur (ad Rom. II. vers. 5. & 6.). Praeterea iidem libri docent mentes humanas esse immortales, (Matthei 10. vers. 28.) : adeoque esse alteram vitam, in qua esse possint vel aeternùm beatae, vel aeternùm miserae, secundùm opera eorum (Matthei 25. versu 31.), & alibi saepe. Mitto cetera. Haec omnia dogmata, & quae haec aut antecedunt, aut comitantur, aut consequuntur, & ratio naturae demonstrat, & sensus nationum communis comfirmat, & Deistae ipsi non inficiantur; vera ergo sunt, & consequenter vera est praecipua pars dogmatica, & theoretica librorum novi Testamenti.

Quod pertinet ad practicam, ea exactissimis rationis criteriis conformis est, conformis vitae, & societati humanae talis, ut nihil excogitari possint nec purius, nec sanctius; ergo, & haec vera est. Ac vero libri novi Testamenti haec moralis capita docent: Deum esse amandum, & quidem super omnia (Matthei 10., versu 27): omne studium nostrum in eo positum esse debere, ut ipsi placeamus (ad Corinthios cap. 7. versu 29.): signum autem hujus amoris esse, si ejus praecepta ob-

observemus (Joannis 4. versu 21.): esse honorandum, & glorificandum, (prima ad Thimotheum cap. 1. vers. 17): in eo solo sperandum, & fidendum (Matthei 6. versu 25): timendum timore filiali, ut boni simus (passim in omnibus libris): adorandum (Matthei 4. vers. 10.): invocandum, & orandum (Matthei 7. vers. 7.): & quidem haec omnia ei praestanda non in externis tantùm signis, sed in *spiritu*: non in superstitione, sed *in veritate* (Joannis 4. versu 13.).

Jam, quod ad nos attinet, praecipitur nobis studere non bonis hujus vitae, quae praeterit, sed bonis aeternis, quae nos vere, & sempiterne beatos facere possunt. Id autem est praecipere, ut nos cum ratione amemus, unde omnia officia nostra adversùs nos ipsos proficiscuntur.

Circa alios homines praecipitur nobis, ut eos, sicut nos ipsos, amemus (Matthei 22. versu 39, & 40.); id quod Paulus Apostolus sequenti ratiocinio concludit: *Reddite igitur omnibus, quod debetis, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem:*

rem: cui honorem, honorem. Nemini quidquam debete, nisi ut alii alios diligatis: nam qui deligit alterum, legem implevit: siquidem illud, non mechaberis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quid est aliud praeceptum, in hoc sermone summatim comprehenditur: diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Quid quod & inimicos diligere nobis praecipitur?

Quod verò pertinet ad eam religionis christianae partem, quae ei propria, & peculiaris est, quâque misteria christiana continentur, ea quidem supra omnem naturae rationem est, solâque caelesti revelatione constat: interim nec rationi contraria est, & esse debere veram facta evangelica cum ratione credere nos cogunt. Quam rem, ut ordine suo demonstremus, altiùs repetamus, oportet.

Prop. XLI. Praecipuae doctrinae Evangelicae, quae christianae religionis sunt propriae, quaeque non communis rationis, sed fidei in Deo nostrae esse debent objectum, ad has referri possunt. I. Peccatum Adae, quo tota hominum posterita-

in-

infecta fuit, & poenis aeternis obnoxia; II. Promissio Messiae, qui, sese Deo immolando, hoc peccatum expiaret. III. Divinitas Messiae. IV. Messias, seu Jesus Christus, unus ex individua Trinitate, quae est Deus. V. Justificatio generis humani per sanguinem Jesu Christi. VI. Instrumenta hujus justificationis, & gratiae, seu Sacramenta. Haec, & plura alia, quae cum his sunt connexa, doctrinam arcanam christianae religionis constituunt, quae ei propria est, & peculiaris, quaeque non ratio hominibus patefacit, sed caelestis tantùm revelatio. Esse autem has doctrinas christianas, & christiani veteris, & novi Testamenti libri, & omnium christianarum Ecclesiarum cathecheses demonstrant. Porro eas nec rationi humanae esse contrarias, & ob facta Evangelica vere esse revelata, hunc in modum demonstrare possumus.

Prop. XLII Hujusmodi doctrinae inscitè veluti rationi naturali contrariae habentur, quòd e principiis rationis naturalis, & hominum communis, non sequantur, nec intra ambitum rationis nostrae contineantur. Scilicet ambitus humanae rati-

ti-

tionis brevissimus est; ergo extra eum esse possunt, & revera sunt, infinitae doctrinae verae. Ac sane sunt quaedam veritates geometricae, arithmeticae, & metaphysicae, quas ratio evidenter demonstrat, quaeque interea minus perspicacibus, nec in iis disciplinis versatis, non solùm incredibiles videntur, sed velut absurditates reputantur. Necesse non est hanc propositionem pluribus exemplis explicare. Propositio 36. libri 1. Euclidis, Parabolae & Asynthoti misterium, Scholion, prop. 46. primae partis, satis aperte id demonstrant vel pueris. Hinc ego infero, iis mentibus, quae longo intervallo perspicacissimas hominum mentes superant, plurima evidenter vera videri, quae consummatis nostris Philosophis communicata incredibilia, & absurditates videntur. Quod si tertia sit mentium classis longe secundis illis antecellens, plurimae propositiones secundis illis mentibus videbuntur incredibiles, & absurditates, quas tertiae illius classes animi evidenter comprehendant. Hanc ego seriem in infinitum protendere possunt, quoad ad primam perfectissimam, & in-

fi

finiti intelligentem mentem, seu Deum; deveniam. Deus ergo infinitas intelligentiâ suâ intuetur veritates, quae non hominibus tantum, sed sublimioribus etiam animis incomprehensibiles sunt, quippe quae extra ambitum suarum idearum. Quare Deus potest nobis communicare infinitas veritates, quae, si ad rationem nostram exigamus, licet inscitè, incredibiles existimentur. Has ergo non ratione aestimare debemus, sed ex divina auctoritate.

Prop. XLIII. Doctrinae illae, quas praecipuas, & peculiares christianae religionis diximus, supra rationem quidem sunt, sed cum ratione non pugnat. D. Nam ea demum pugnant cum ratione, quae constantia, & communia rationis humanae principia evertunt, seu *quae intrinsecùs impossibilia sunt*, ut si dicam, *totum esse aequale suae parti: circuli radios non esse aequales: tres trianguli angulos non esse aequales duobus rectis, &c.* tales autem non sunt doctrinae illae christianae; id quod ex simplici & brevi earum expositione patebit.

I. Adamum, cum legem divinitùs posi-

sitam violasset, justitiâ illâ primitivâ, & originali, quae Dei donum erat, una cum sui posteritate privatum fuisse, & poenis aeternis ipsum, ejusque filios evasisse obnoxios, id intrinsecùs impossibile nemo dixerit. Sed id ipsum pugnet necne, cum divina justitia, & beneficentia, ipsi per nos ideis nostris, ac ratione e rebus humanis informatâ dijudicare non possumus: quandoquidem Dei justitia, & bonitas non sunt dimetiendae ex regulis justitiae, & beneficentiae humanae, quia alia non unam universi partem spectat, sed totum; nec privatos fines, sed totius divini operis finem genericum. Quare a Deo ipso discendum, divinisque ideis & formulis dijudicandum. Itaque objectum fidei esse debet, non rationis. Quae autem sunt talia, quis nisi inscitissimè rectae rationi contraria pronunciaverit?

II. Promissum a Deo hominem Divinum, qui doctrinâ, & sacrificio suo hanc nostri labem expiaret; Deoque hominum genus conciliaret, id item licet sit supra rationes nostras, & eas spes, ad quas naturaliter adspirare possumus; tamen non

solum non pugnat cum ratione, sed posità doctrinâ peccati adamitici, maxime rationi, etiam nostrae, est conforme; ostendit enim & constantiam, ac immutabilitatem divinae justitiae; & summam Dei erga hominum genus benignitatem.

III. Hunc Messiam non esse purum hominem, nec quamlibet excellentem creaturam, sed Deum ipsum cum homine junctum, id quidem rationem nostram non solùm superat, sed confundit: est enim eorum omnium, quae nobis divinitùs patefacta sunt, maximum: sed intrinsecùs impossibile non est. Quin adeo non est intrinsecùs impossibile, ut nihil tam sit in fabulis omnium nationum familiare, quàm hoc dogma, Deos sub humana forma saepe apparuisse, quo beneficia sua hominibus communicarent. Persuasum id est non modò cultis, sed barbaris quoque gentibus.

IV. Jam verò in Deo, utut substantiâ, & naturâ unico, & simplicissimo *tres substantiales relationes* distingui, easque ab officiis dici, & esse *Patrem*, *Filium*, *Spiritum Sanctum*, tres realem personas in indivisibili divinitate, id ex-

extra omnes nostras ideas est, ac propterea supra omnem rationem: ergo rationi nostrae contrarium esse nequit; quia ratio nostra ab ideis nostris informatur, nihilque ei contrarium dici potest, quod extra humanas ideas est. A nobis igitur sciri nequit; nisi solâ Dei revelatione. Quaerendum igitur est, non, intelligamus, nec ne, sed revelatumne a Deo sit?

V. Postremò Jesum Christum hominem Deum instrumenta quaedam corporea instituisse, & ritus, quibus rite, recteque adhibitis, homines & inter sese christiane coirent, & cum eo jungerentur supremo christianae Ecclesiae capiti, & ejus gratiâ, ac meritis fruerentur, ac coram Deo justificarentur, & sancti, atque immaculati viverent, quid habet, quod cum ratione pugnet? Quid, quod homini ex corpore, & animâ, constanti, ac inter corporea agenti, non sit consentaneum?

Doctrinae igitur christianae religionis propriae, & peculiares supra animi nostri rationem sunt, ut ad eas sine divina revelatione mens humana nullo modo ad-

spi-

dspirare possit: sed nihil habent, quod cum ratione pugnet: extra ideas humanas sunt: eas *Philosophia non sapit*, inquit S. Hilarius: sed rationis nostrae scita non evertunt. Quin rationem nostram longe, lateque perficiunt: quia eò elevant, quò illa naturae viribus ire nullo pacto potest.

Prop. XLIV. *Lemma.* Vera miracula non possunt esse nisi a Deo, qui solus imperium habet in naturam. Nam vera miracula sunt, quae aut substantiâ, aut modo vires rerum naturalium superant, & contra constitutas in Universo mechanicas leges fiunt (ex definit. 8.): Id autem nemo potest efficere, nisi, qui imperium in naturam exerceat, id est, Deus totius naturae auctor, & moderator; vera ergo miracula Dei sunt opera.

Prop. XLV. Facta evangelica satis aperte demonstrat superiores doctrinas non posse esse, nisi divinas, ac consequenter veras; esseque officii adversùs Deum nostri eas credere.

Institutionum angustiae vetant me ire per omnia: itaque paucis hanc demonstrationem indicabo magis, quâm absolvam,

vam, ut tironibus methodum ostendam, quâ christianam religionem adversus impios, & profanos homines tueri possint.

Principio: miracula a Christo patrata, ac miraculorum modus, clare ostendunt, Jesum Christum nec impostorem fuisse, nec hominem ordinarium. Nam miracula illa, & substantiâ, & modo, supra omnes naturae vires sunt Nec verò sunt ejusmodi facta, in quibus impostura ulla subesse potuit; quia non clanculùm, sed coram toto populo facta sunt. Itaque nec impostor Auctor fuit, nec ordinarius homo, sed potius homo divinâ vi instructus; quia vera miracula solus Deus efficere potest (ex prop. super.).

Jam hic tot, ac tantorum miraculorum patrator, ejusque doctrinae magister, de quâ dictum est, se non a se venisse, sed a Deo missum perpetuò praedicat: nec missum tantùm a Deo, sed unum cum Deo, ac Deum ipsum. Ut id vero hominibus persuadeat, miracula edit, ut *non ipsi credamus, sed operibus, quae efficit*; illa enim testatissimum faciunt, ipsum a Deo esse missum. Ergo aut illa miracula pernegganda sunt; aut

fatendum Jesum Christum eam esse, quem se profitetur esse. Facta illa negare nemo nisi effrictae fronti potest: nulla enim historia est, quae magis indubiis auctoribus constabiliatur. Jesus igitur vere a Deo missus est, ac homo-Deus est.

Praeterea id ipsum demonstrant ejus resurrectio, & adscensio in coelum. Nullum humanum factum est, quod testatius demontrari possit, quàm Christi resurrectio, & adscensio in coelum. Nam omnes illi auctores qui ejus vitam, praedicationem, miracula narrant, iidem narrant, cum cruci fuisse affixum, in eaque extinctum, sepultum denique. Hoc ipsum & Tacitus, & Suetonius, & Plinius, junior narrant. Iidem ajunt tertiâ die redivivum apparuisse. Falsi sunt, an fallere voluerunt? Fallere voluisse tot, tantosque testes, eoque tempore, quo revinci ab Hebraeis infensissimis hostibus poterant, nullâ causae suae utilitate, sed proditione, tantùm ob mendacium, id ut in animum inducamus, omnem prius rationem excutere debemus: necesse est enim, ut ante omnia eos, cetera candidos, ac sinceros historicos, bonique pectoris, quemad-

madmodum ex eorum scriptis apparet manifestò, aut stupidos fuisse constituamus, aut omnium mortalium solos sibi iratos.

Sed videamus utrùm potuerint falli. Id non potuisse, inde facile intelligemus, si attente totam Jesu Christi resurrectionis historiam animo percurramus. Ea est hujusmodi.

Principio: Cùm mulieres Christi sepulcru visum ivissent, invenerunt lapidem revolutum, sepulcrum vacuum, & linteamina, quibus ejus corpus involutum fuerat, seposita. Angelus adstans eas de Christi resurrectione monuit. Ita factus primus resurrectionis rumor. Mox sese redivivum ostendit Mariae Magdalenae prope sepulcrum (Marci 16., v. 9. Joannis 20., v. 14.). Secundò apparuit Mulieribus a sepulcro Jerosolymâ redeuntibus (Mathaei 28., v. 9.). Tertiò apparuit Petro (Lucae 24, v. 34). Quartò duobus Discipulis Emmauntem euntibus (ibidem v. 15.). Ita resurrectio Christi vulgari caepit. Sed cum nondum satis certa argumenta reliqui Apostoli haberent, quibus tantam rem sibi persuaderent, Je-

sus, qui eos paullatim docendos susceperat. Quintò apparuit omnibus simul Apostolis, Thoma tantùm absente (Lucae 24., v. 36., Joannis 20., v. 24.). Cum autem illi prae timore, ac gaudio adhuc dubitare viderentur, ostendit eis manus, ac pedes, unaque cum eis comedit, & bibit. Jam cum Thomas advenisset, idque rescivisset, molestissimum ei fuit se tantae rei non adfuisse. Ergo Jesus sextò apparuit Apostolis omnibus, praesente Thoma, qui non priùs credere voluit, quàm ipse manibus suis Christi corpus palparet, ac digitis vulnera contrectaret (Joan. 10., v. 24.) quo facto omnem & sibi, & aliis suspicionem, ne ulla impostura subesset, abstulit. Septimò prope mare Tyberiadis Jesus omnibus discipulis sese manifestavit, atque cum eis edit, ac bibit, variumque, atque longum sermonem habuit (Joannis 21.). Octavò, ne testes adhuc desiderarentur, apparuit plusquam quingentis fratribus simul congregatis, ut testatur Paulus epistola I. ad Corinthios, capite 15., v. 6. Quin postquam adscendisset in coelum, inde Paulo sese videndum praebuit, eumque

que e coelo allocutus est (Actorum 9., v. 5. & in epistola I. ad Corinthios loco citato.)

Atque hinc factum est, ut Apostoli eam rem non solum confidenter ubique praedicarent, quamquàm Senatus Jerosolimitanus vetaret, sed morte etiam suâ testarentur. *Quod audivimus*, (inquit Joannes epistola 1., capite 1.) *quod oculis nostris vidimus, quod conspeximus, & manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae, & testamur, & annunciamus vobis.* Et Petrus Apostolus (Actorum 10., v. 39.) *Et nos testes sumus omnium quae fecit in regione Judaeorum, & Jerusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitavit tertiâ die, & dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo: nobis, qui manducavimus, & bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis.* Quae cum sint, qui sibi persuaserit, Apostolos eâ in re falli potuisse, non video, idem, qui sibi persuadere nequeat, ne solem quidem hunc oculis suis lucere. Accedit eodem, quod Sanctus Augustinus

nus perspecte disputat libro 22. de Civitate Dei, capite 5., quod nisi id factum fuisset testissimum, ac procul omni dubio, intelligi non posset, qui mundo persuaderi potuerit, idque cum tanta facilitate, nec vero a viris doctis & astutis, sed ab idiotis, & simplicibus. *Incredibile est Christum resurrexisse in carne, & in coelum adscendisse cum carne: incredibile est mundum rem tam incredibilem credidisse: incredibile est homines ignobiles, infimos, paucissimos, imperitos rem tam incredibilem, tam efficaciter mundo, & in illo etiam doctis persuadere potuisse. Horum trium incredibilium primum nollunt isti, cum quibus agimus, credere: secundum coguntur, & cernere; quod non inveniunt unde sit factum, si non credunt tertium.* Duo postrema incredibilia jam credita manifestam continent demonstrationem primi incredibilis.

Postremò totam hanc rem Christus ipse satis aperte, nec semel, sed pluries praedixerat, idque confidenter tamquàm rem certissime futuram. Quin saepe monuerat Apostolos, ne morte suâ commoverentur:

tur: nam id oportebat accidere: sed post tertiam diem resurrecturus fuisset. Monuerat, se ex hoc mundo adscendere debere ad Patrem, quo eis pararet locum (Joannis 14., v. 2., & 3). Aperte eis praedixerat: *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Haec tanta consonantia inter apertas praedictiones, & facta Evangelica, tum inter facta, & praedicationem, atque fidem inclitarum Nationum, rem omnem conficit, ut iis, qui sine ulla animi praeoccupatione haec considerant, nulla suspicio reliqua esse possit, resurrexit Christus, necne.

Corol. I. Christus igitur & a Deo missus est, & Deus est: id enim aperte demonstrant superiora argumenta.

Corol. II. Doctrina christianae religionis arcana, & peculiaris, coelestis est, ac propterea vera.

Prop XLVI. Libri novi Testamenti sunt divinitùs inspirati. Principio. Libri novi Testamenti omnes habent veracitatis caracteres, ut supra demonstratum est: nihil certe in illis est, ex quo suspicari possimus, eorum auctores voluisse mundo

do imponere. Affirmant autem doctrinam quam continent, a Deo esse; quod si verum non esset, eorum auctores scelestissimi fuissent impostores; id quod, ut dictum est, ne suspicari quidem possumus; necesse ergo est, ut vere divinitùs inspirati sint libri novi Testamenti.

D inde librorum novi Testamenti verax historia est, ut demonstratum est; sequitur ergo dubitare nos non posse de miraculis, quae a Christo, & Apostolis facta in ejus doctrinae confirmationem, quam praedicabant, in iis libris narrantur. Narrantur autem talia miracula, quae nec fingi poterant, nec, nisi a Deo poterant perfici, ut conversio aquae in vinum: panum, & picium portentosa multiplicatio: mortuorum resuscitatio; desperatorum morborum sanationes uno verbo factae: ut caecorum a nativitate, paralyticorum per plurimos annos, &c., & haec quidem non clanculùm, sed propalàm, quorum totus populus testis erat oculatus. Praeterea haec miracula ita a Christo efficiebantur, ut quivis intelligere posset habere illum imperium in naturam, nam imperabat, & fiebant. Doctri-

na

na igitur novi Testamenti, quae his miraculis confirmata est, vere divina est.

His argumentis addi possunt, & sequentia. Primum, sanctitas, puritas, & sublimitas doctrinae. Quis certe non miretur paucos piscatores, homines litterarum rudes, & in rerum contemplatione minime versatos, non tantum naturae leges, & hominum officia explicuisse diserte, ac ita, ut nullibi fallerentur, sed de Deo, & providentiâ, deque alterâ vitâ tam sublimia, & toti rationi conformia docuisse? Quis tot hominum rationi abscondita mysteria tam diserte, & confidenter docuisse, & tot populis persuasisse? Quis praeterea tantam doctrinae constantiam, atque harmoniam servavisse? facile est hinc intelligere a spiritu Dei fuisse gubernatos.

Secundum. Spiritus propheticus, qui in Auctoribus horum librorum reperitur, quique nequit esse, nisi a Deo, eorum divinitatem satis aperte demonstrat.

Tertium. Vis ad persuadendam novam religionem, qua superstitiones dominantes evertebantur, & quidem tantâ celeritate, quantâ non dicam ulla alia doctrina

un-

unquam, sed ne ullum quidem imperium armis dilatatum fuit, non potuit esse nisi a Deo.

Quartum. Tanta discipulorum in hac religione tuendâ constantia, & fortitudo, ut durissimos cruciatus, exquisitissima supplicia, & mortem denique contemnerent. Haec omnia satis demonstrant, religionem christianam e coelo descendisse.

Prop. XLVII. Veteris Testamenti libri diu ante epocham christianam genuini habiti sunt. Nam veteris Testamenti libros jamdiu ante Christi ortum in unum collectos fuisse apud Hebraeos, & iis Auctoribus tributos, quorum nomina prae se ferunt, magnâ consensione, & veteras Hebraei, & Christiani tradiderunt. Nam Origenes, & hinc Epiphanius, & Hieronymus narrant, apud Hebraeos viginti duos tantum libros sacros habitos, & Teopneustos (id est, divinitùs inspiratos) rejectis aliis, qui sacri, & divini non erant. Idem praetereà testatur Josephus lib. 1. contra Apionem Grammaticum, qui Josephus Apostolorum tempore vixit. Id ipsum colligitur ex libris novi Testamenti, in quibus veteris Testamenti li-

bri

bri saepe laudantur. Id ipsum confirmat versio Septuagintaviralis, quae Apostolorum tempore extabat, quaeque argumentum est perspicuum, extitisse jamdudum apud Hebraeos librorum divinorum Canonem, unde auctores versionis ejus transtulerunt. Dubitare igitur non possumus, Canonem librorum veteris Testamenti diu ante Christi tempora extitisse.

Sed quaeritur, quo tempore hic Canon confectus sit? Sund qui putant Esdram post captivitatem Babylonicam libros propheticos collegisse, atque in unum corpus copulasse. Ego censeo libros illos, statim ac a Prophetis scripti fuerunt, & populo innotuerunt, in Canonem collectos librorum divinorum, eumque Canonem paullatim crevisse: neque enim habeo verisimile Hebraeos non curasse, ut distinguerentur libri divini ab humanis, id quod nulla natio neglexit, etsi non idem Dei habuerit beneficium: quod si distinxerunt, collegerunt profecto.

Prop. XLVIII Vis prophetica est solius Dei. D. Nam prophetia est earum rerum praedictio, quas nondum evenerunt, cum praedicuntur, quaeque neque

ex

ex caussis naturalibus, neque ex praesente rerum statu conjici possunt (ex defin. 7.); id autem ejus est, qui totam rerum naturam, quacunque illa, aut loco, aut tempore patet, mente comprehendat, & suo imperio ordinet; & is solus est Deus (ex prop. 5., & 16.), vis ergo prophetica solius Dei est: quare fit, ut ii libri, qui prophetici sunt, divini sint.

Prop XLIX. Ex novo Testamento demonstratur veteris Testamenti divinitas. Nam quum libri Evangelici genuini sunt, veraces, & divini (ex superiori proposit) & libri veteris Testamenti pro divinis habeantur in libris Evangelicis; consequitur, & libros veteris Testamenti esse divinos. Quod autem libri veteris Testamenti habeantur divini in libris novi, ex eo est perspicuum, quòd in novo citantur, & commendantur, aut in confirmationem, aut in contestationem eorum, quae Christus, & Apostoli docent. Citantur quoque ut prophetici, id est, tanquam a Deo inspirati. Absurdum autem est a divinis novi Testamenti scriptoribus libros veteris Testamenti in confirmationem appellari, & ut propheticos haberi, nisi illi

vere sint divini : divini ergo sunt libri vet. Testamenti.

Quod autem libri veteris Testamenti in novo citentur, & commendentur, legenti facile patere potest. Nam Legem Moisis Ex. g., quo nomine Pentatheucus intelligitur, passim citant Evangelistae, & Apostoli, ut librum genuinum, & propheticum, praesertim Joannes cap. 1. versu 45., & cap. 5. versu 46. Speciatim Genesis laudatur Matthaei 19. versu 4., & 8. Et ad Romanos 4. versu 3. Exodus Matthei 5. versu 21., & 22., & Joannis 5. versu 10., & ad Romanos 9. versu 15. Numeri Joannis 19. versu 39., & prima ad Corinth. cap. 10. Leviticus Matth. 8. versu 4. Deuteronomium Matth. primo, Joannis 8. versu 17., & ad Romanos 11. versu 13. Liber Psalmorum Matth. 4. versu 6., & Joannis 22. versu 15. Esaias passim in omnibus scriptis Evangelicis citatur. Jeremias saepe, ut Matth. 6. versu 15. & Joannes 5. versu 50 Ezechiel a Paulo ad Romanos. Daniel, Matth. 24. versu 15. Michaeas Matth. 11. versu 6. Oseas Matth. 21. versu 15. Malachias Matth. 25. versu 4.

Mit-

Mitto caeteros, ne sim longior. Libri igitur vet. Test. divini sunt, quoniam ut divini citantur in libris itidem divinis, &c. ut demonstratum est.

Prop. L. Divinitas librorum veteris Testamenti demonstratur ex prophetiis. D. Cum prophetiae opere completae argumentum sint perspicuum Divinitatis, quae per Prophetas loquebatur, ut superiùs demonstratum est; & veteris Testamenti libri infinitas propemodum prophetias contineant opere completas; sequitur divinos esse veteris Testamenti libros. Quod autem plurimae sint in veteri Testamento prophetiae opere completae, accuratissime demonstraverunt olim Tertullianus adversus Marcionem, Cyprianus in Libris Testimoniorum, Eusebius Caesariensis in Demonstratione Evangelicâ, Augustinus in libris contra Faustum Manichaeum. Accessere nuper viri plurimi doctissimi, in primis Petrus Daniel Huetius in Demonstratione Evangelicâ, & Humfredus Prideaux in historia Judaeorum. Nos hoc in loco brevissime rem conficiemus. In libris novi Testamenti agnoscitur propheticos esse libros vete-

ris:

ris: cum autem libri novi Testamenti sint divini: sequitur libros veteris Testamenti propheticos esse, ac propetereà divinos. Quod autem in libris novi Testamenti agnoscatur libros veteris esse propheticos, praeter cetera demonstrat locus luculentissimus Lucae ultimo, in quo loco Christus servator noster Apostolos redarguens: *O stuli*, inquit, *& tardi corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt Prophetae...., & incipiens a Moyse, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, &c.* Libri ergo veteris Testamenti prophetici sunt.

Prop. LI. Religio christiana vera est; & divina. D. Religio christiana libris contenetur novi, & veteris Testamenti: sunt autem ii libri veri, & divini (ex prop. superioribus); Religio ergo christiana vera est & divina.

Sholion. Quum Religio duabus partibus contineatur, *Theoretica* & *Practica*, & utraque haec pars religionis christianae vera sit, & divina; in id homini christiano danda est opera, ut dogmata christianae religionis non mente tantùm

com-

comprehendat, sed perpetuò verset in animo, atque in succum, & sanguinem convertat, ut ex iis vitam, moresque suos conformet. Uno verbo, ut divinam hanc religionem non verbis tantùm, aut scriptis profiteatur, sed moribus tueatur: hic enim est praeclarissimus modus christianam religionem adversùs Atheos, Deistas, perditos, atque sceleratos homines defendendi.

FINIS.